

AMSTELEDAMI,
Excudit FRANCISCUS HALMA. 1708.

GERARDI SICHTERMAN
J. U. D.


DE

POENIS
MILITARIBUS ROMANORUM

DISSERTATIO
PHILOLOGICO-JURIDICA.



AMSTELODAMI,
Apud FRANCISCUM HALMA.
MDCCVIII.



SERENISSIMO. CELSISSI-
MO. QVE.
PRINCIPI.
JOHANNI
GUILIELMO
FRISONI.
PER. DEI. GRATIAM.
ARAUSIONENSI. NAS-
SAVIO. QUE.
PRINCIPI.

CATIMELIBOCORUM
VIANDAE. DIETZIAE. LINGAE.
MEURSAE. BURAE.
SPIEGELBERGAE. AC. LEERDAMI.
COMITI.

MARCHIONI
VERAE. ET. VLISSINGAE.
&c. &c.

DOMINO. ET. BARONI.
BREDAE. BIELSTENII. LIES-
VELDIAE.
GRAVAE. YSSELSTENII.
STEENBERGAE. ZEVENBERGAE.
DIOCESEOS. CUKIANAE.

DIES-

DIESTAE. GRIMBERGAE. HERI-
STALLI.
CRANENDONKI. VARNESTONI.
ARLAEI. NOSEROCI. S. VITI.
DASBORGI.
POLANI. WILHELMOSTADII.
NIRVARTII. S. MARTINODICI.
MONTIS-GEERTRUDIS.
CASTELLORENARDI.
SUPERIORIS. ET. INFERIORIS.
SWALUAE.

BURGRAVIO.

ANTWERPIAE. ET. BESANCONII.

FRISIORUM.

REIPUBLICAE.

DOMI. MILITIAE. QUE.

PRAEFECTO.

HEREDITARIO.

GRONINGAE. AC. AGRORUM.

CIRCUMJACENTIUM.

GUBERNATORI.

ARMORUM. DUCI. SUPREMO.

EXERCITUUM.

SEPTEM. FOEDERATARUM.

CIVITATUM.

DUCTORI.

&c. &c. &c.

SERE-

SERENISSIME

AC

CELSISSIME

PRINCEPS;

AD Te quidem, PRINCEPS SERENISSIME, nihil niſi perfectum ingenio, elaboratumque indu-

 ſtria

ſtria, ſtatuebam afferri oportere. Nec meam ipſe temeritatem excuſarem, quae tam leve opus, judicio Tuo graviſſimo ſine ulla dubitatione exponit; niſi officiorum ratio Illi, Cui honores in primis annis acceptos debeo, ut mea omnia, ita primos in litteris conatus, quanquam exigui ingenii, & haud magnae exercitationis tenuia monumenta, conſecrari vellet.

Recordantur adhuc hodie, & quam diu erunt

cum

cum laetitia recordabuntur, Frisiorum & Batavorum Academiae, illorum temporum, quibus virorum sapientissimorum auditionibus laetabaris, ac in sapientiae palaestra non magis natalibus & dignitate, quam ingenio, & diligentia excellebas. Ita enim Tibi visum, Viro Principi, atque populorum administrationi ac castrorum imperiis a Deo immortali destinatis, non, quod multi faciunt, impara-

ra-

ratum omnino, ad tractandam Rempublicam ac moderandos exercitus accedere, ſed optima uſum praeparatione, ac cum Civilis, tum Militaris Prudentiae magiſtris maximis eruditum: ut belli & pacis artibus; quibus ſtant, & florent Reſpublicae, pectus Tuum jam ante plenum habueris; quam honores adiveris Tibi decretos.

Hac ratione, Ille, Quem potiori jure, complures Euro-

ro-

ropae Gentes Servatorem agnoſcunt, quam nomen illud quibuſdam Macedonum Regibus a multis olim datum; Rex inquam, ſummus, GULIELMUS III ingeniorum tantus aeſtimator, permotus, Te bonorum ſuorum heredem voluit eſſe, quia heredem virtutum fore praevidebat.

Poſt tam ſplendidum judicium, ac Orbi Chriſtiano a Rege maximo, de Te, PRINCEPS SERENIS-

SI-

SIME, declaratum, Europa, qua patet, universa, oculos in Te convertit. At vero quanto magis in Te intuetur, tanto magis etiam intelligit, in Te, post tot Generis Tui cineres, tanquam Phoenice redivivo, non solummodo excitatam atque inflammatam, sed jam longe lateque effulgere gloriam quae Tibi a Majoribus, cum magna in rebus omnibus, tum summa in re militari tradita est.

Quan-

Quandoquidem ergo grave & periculosum bellum Rempublicam exercet, Eas iterum, PRINCEPS SERENISSIME, quo Te amor Civium ac Libertatis vocat; funde, quod Tibi Patrium & Avitum est, hostes Sociorum Septem; ulciscere templa temerata; Victorque Domum redeas; ut, ceu Tutelare Numen, per otia, Reipublicae semper opportuna, pandas nostrae Frisiae, reducasque Belgio variis procellis miserè jam

diu

diu jactato, ea saecula, quibus sub Majoribus Tuis, gavisi sunt nostri. Quod Tibi ac universae Patriae, & cum ea, animitus voveo

SERENISSIMO AC CELSISSIMO
NOMINI TUO

Lugd. Batav. Octav.
Calend. Febr.
MDCCVIII.

Devotissimus

GERARDUS SICHTERMAN.

LECTORI.

S. D.

Habes Lector, Dissertationem de Poenis Militaribus Romanorum, quas olim multi cum eruditione; tum ingenio conspicui Viri, jam tetigere. Etenim pauci, qui post renatas litteras, ac discussas Barbarorum temporum, & ignorantiae Saeculorum nebulas in inlustranda re Romanorum militari studium suum collocarunt; quin castrensem disciplinam e tenebris eruere, praecipue studuerint. Verum cum nulla Antiquitatis pars, sit adeo perfecta, ac expolita, quae indies; cum, plurimis accessionibus, tum novis observationi-

bus, ab aliis aut neglectis, vel non visis, adornari possit ac majore luce donari, nemo credo vitio verterit, me, a tantis viris calcatam viam de novo fuisse ingressum. Plurimi enim qui militaria supplicia inlustrarunt, leviter ac perfunctorie hanc materiam tractarunt, Inter quos Rhodiginus, Alexander Alexandrius, Sigonius, Stewechius, & infiniti alii, quos passim in hac dissertatione laudatos reperies. De Poenis quoque ac Ignominiis Militaribus disputationem scripsit Franciscus Robortellus, sed catalogum & poenarum enumerationem potius exhibere, quam exactam earum descriptionem tradere voluisse, videtur, licet dignam judicaverit Vir summus Joannes Georgius Graevius, *quae insereretur Tom.* x. *Thesaur. Antiq.*

Ro-

Roman. Utinam! cum multis aliis, aeternitate ac omnium praedicatione dignissimis monumentis, non periissent, quae libro singulari de Poenis militum scripsisse Ictum Paulum, testantur fragmenta quae nobis servarunt Pandectae. Nunc autem, inter eos, qui de militia Romana scripsere, meo qualicunque judicio, optime meritus est Vir Maximus Iustus Lipsius, primus qui aeterno illo opere exactam hujus materiae commentationem exhibuit. Sed cum plurima tamen restarent, vel ab eo neglecta, vel praetermissa, vel in quibus ratio eum fugerat, quaeque Scriptorum Veterum auctoritati, vel antiquis moribus contraria sunt, sub incudem hanc poenarum materiam revocare constitui. Quid in ea prae-

stiterim, judicio Tuo committo. In conjecturis, vel aliorum sententiis refutandis si minus felix fuerim, post tantos viros interdum tale quid passos, me venia quoque dignum esse pro tua humanitate censebis. Lugd. Batav. Octav. Calend. Febr. Ann. MDCCVIII.

INDEX CAPITUM.

CAP. I.

De disciplina militari. Praemii spe, poenae metu suam conservarunt Romani. Militis Etymon. Definitio. Poenae Etymologia & Definitio. Poenae militares propriae vel communes.

CAP. II.

Verberatio duplex: fustigatio, vel castigatio. Fustigatio, sive Fustuarium, ab admonitione fustium, vel castigatione plane diversa. Carnificum opera raro in militum poenis adhibita. Modus irrogandi fustuarii supplicium. Gladiis & saxis in fustuario nonnunquam usi Rom.

CAP. III.

Vigilum negligentia Fustuario coercita. Ut & furtum. Falsum testimonium dicenti quoque inflictum. Item illi qui in flore aetatis corpore erat abusus. Castitas Romanorum in castris. Servii aliorumque opinio, feminas in castris olim nullas fuisse, refutatur. Plurima a viris doctis in hanc rem prolata, sub examen revocantur, & illustrantur. Feminas in castris fuisse probatur. Lipsii explicatio vocis scortum apud Livium & Florum, refellitur. Cui ter ob

eandem culpam mulcta fuerat irrogata, fustuario puniebatur.

CAP. IV.

IV. *Qui falso strenuum factum retulisset Fustuario affectus. Praesidii quoque vel stationis desertor. Lipsius refutatur. Qui arma abjecit itidem Fustuario occisus. Lipsii sententia refellitur. Varia adhuc delicta coercita Fustuario.*

CAP. V.

Decimatio, quo modo exigebatur. Ob quae delicta adhibita. Vicesimatio & Centesimatio. Superstitibus hordeum datum. Ratio & origo hujus supplicii.

CAP. VI.

Securis & gladii poena. Lipsii Sententia refellitur. Speculatoribus munus caput amputandi demandatum. Non vero Tribunis. Lipsii argumenta refutantur.

CAP. VII.

Praecipitatio de Saxo. Apud Romanos saxum Tarpejum usitatum. Varii hoc Supplicio affecti. Transfugae. Fugitivi obsides. Vigiles negligentiores. Servi bello apud Romanos remoti. Posterioribus temporibus pracipitatio de saxo in desuetudinem abiit.

CAP. VIII.

Transfugae pro hostibus habentur. Unde servilibus poenis afficiuntur. Quae militares tamen recte poenae vocantur. Crucis

CAP. XIII.

Missio triplex. Ignominiosa, Ignominiose missi laborant infamia. Quirites, milites ignominiose dicti, ut & Pagani. Poena ignominiose missorum. Missio ignominiosa Exauctoratio quoque dicta. A Lipsio & Turnebo dissensus. Insignia militaria. Ad principia adesse. Discinctus ante praetorium stare. Cespitem quandoque portare ignominiae causa militibus injunctum.

CAP. XIV.

Ignominiae causa tendendi locus in castris mutatus. Nonnunquam extra Vallum castrorum tendere jussi milites. Quae ignominia re strenue gesta deleta. Extra Oppidum hibernare. Inter impedimenta & sarcinas iter agere. Militiam mutare. Gradu dejici. Militia rejici. Censio Hastaria.

CAPUT XV.

Stipendium quando primum datum. Stipendio privari. Captivo reverso Stipendia non sunt deneganda. Annuum Stipendium in Semestre mutatum. Frumentum militibus datum. Poenae causa hordeum pro tritico datum. Multa pecuniaria.

GERARDI SICHTERMAN J. U. D.

DE POENIS MILITARIBUS ROMANORUM DISSERTATIO Philol. Jurid.

CAP. I.

De disciplina militari. Praemii spe, poenae metu suam conservarunt Romani. Militis Etymon. Definitio. Poenae Etymologia & Definitio. Poenae militares propriae vel communes.

INter Respublicas, quae principatum obtinuerunt, nullam esse, quae non pacis sapientia, & consilio, ut & arte bellica, summaque animi fortitudine, ac militari disciplina ad summum illud gloriae culmen & potentiae fastigium praecipue ascenderit, per se quisque, qui earum prima initia, incrementa, & magnificentiam norit, existimare facile potest. Ut Atheniensium, Lacedaemoniorum, & alias Graeciae civitates silentio praeteream: solam intueämur, Aeternam, Terrarum Gentiumque Deam Romam; Quae institutis & legibus domesticis adeo ad vir-

tutem suos incitavit cives, ut inde orta bellica fortitudine, ultra Euphratem, Nilum, Lybiæ arenas, Danubium, Rhenum, Oceanum Regni limites constituerit. SULPICIÆ *satyra.* vers. XX.

> - - - - duo sunt quibus extulit ingens
> Roma caput, virtus belli, ac sapientia pacis.

Nam uti CICERO *de off.* I. *cap.* XXII. *Parvi sunt, foris arma, nisi sit consilium domi:* & ut sine ventre cæteræ corporis partes, & membra viribus suis destituuntur, officio que fungi nequeunt, ut vetus est apologus, sic sine severa militari disciplina, atque ordine, nulla stare Respublica, nec diu florere potest: quæ cum a Romanis probe intellecta, ac præ cæteris observata fuerint, non est mirandum, quod præ omnibus quoque caput extulerint, plerarumque gentium extiterint victores. Hac arte, dum cæteris gentibus palmam in aliis deferunt, hac arte, inquam, se aliis præstare Romani gloriantur. VIRGILIUS *Aeneid.* VI. *v.* DCCCXLVII.

> Excudent alii spirantia mollius æra,
> Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus
> Orabunt causas melius; cælique meatus
> Describent radio, & surgentia sidera dicent:

Tu

Tu regere imperio populos Romane memento:
Hæc tibi erunt artes: pacisque imponere morem
Parcere subjectis, & debellare superbos.

Verum uti rursus CICERO de *Nat. Deor. lib.* III. *cap.* XXXV. *Ut enim nec domus, nec Respublica ratione quadam & disciplina designata videatur si in ea nec recte factis præmia exstent ulla, nec supplicia peccatis;* sic sine præmiorum largitione, & severissimis pœnis, non diu omnium nationum terror, Terrarumque Domini Quirites fuissent habiti: sed sicuti aliis gentibus rebus terra marique gestis, longe fuerunt superiores, *& nulla unquam Respublica, tam diu ac Romana, tanto splendore imperium tueri potuit;* sic in proponendis virtuti præmiis, in sontes castigationibus, & pœnis animadvertendis, nulli fuerunt inferiores, & hinc in servanda, cum domestica, tum militari disciplina nunquam pares, raro æmulos habuerunt. Quare & eorum Respublica præstantissimorum virorum ab omni ætate fuit feracissima, fortissimosque semper protulit Heroes. Hi Quirites fuerunt, qui ab aratro vocaverunt L. Quinctium: in L. Junium Brutum libertatis vindicem, imperium annuum transtulerunt: Scipionibus, Marcellis, Aemiliis, Duilliis,

aliisque Nobilissimis ob sempiternam virtutis exercitæ memoriam viris, decretos propter res gestas, triumphos læti spectaverunt, ovationes concesserunt, statuas posuerunt, & celeberrima a devictis gentibus indiderunt cognomina: gregariis vero militibus, coronas Civicas, Murales, Vallares, Navales, aliaque infinita dignissima virtutis acuendæ præmia distribuerunt. Hi fuerunt qui gravissimas Censorum notas, quæ solæ pares ad cohibendos intra modestiæ, & æquitatis terminos omnes omnis ordinis & dignitatis homines instituerunt, qui totas nonnunquam legiones; integras cohortes & manipulos decimarunt. Fustibus ciciderunt. Manlium strenuum olim Capitolii defensorem, libertatis postea oppressorem, de saxo præcipitarunt Tarpejo. Qua vigente disciplina adeo suorum militum acuerunt virtutem, eorumque fortitudinem incenderunt; libidinem vero, voluptatem, ignaviamque ita coërcuerunt, ut omnes sive præmii spe, sive pœnæ metu, per hostium potius acies sibi viam invenire, & gloriosa perire morte quam hostibus cedere maluerint. Quæ simulac negligi, ac prolabi incepit, ignavia, socordia, audaciaque militum animos occupavit, qui in omnia scelera, rapinas & discordiam postea proruperunt. Præfectorum & Ducum obsequium rumpere, nulli imperio

tio obtemperare, Imperatores trucidare, imperium publica auctione vendere sustinuerunt; ita ut proprio suo sese gladio quasi jugulaverit Romana potentia, & neglecta militaris disciplina intestinorum malorum quibus laceratum, & disruptum imperium, pessundataque ejus gloria est, causa fuerit certissima, & effecerit, ut, ad barbarorum invasionibus, & septentrionalium gentium direptionibus resistendum jam impares, populorum olim fortissimi, totius urbis & imperii ruinam ac interitum conspexerint.

Cum vero mihi proposuerim præcipuam hanc, & maximam Romanæ felicitatis causam disciplinam militarem, Pœnasque quibus per tot sæculorum spatium eam integram & incolumen servarunt Reip. Romanæ patres, ut & supplicia quibus effrænatos & ferociores militum animos refrænarunt, exponere; non abs re esse censeo, si vocum originem & rei definitionem præmiserim, sic enim rectius intelligetur hujus dissertationis argumentum: Cum ita hodie nobiscum comparatum sit, ut magna pars nostræ scientiæ circa verba versari debeat, ut per illa rerum signa, ad res ipsas aditus patefcat.

Variæ militis origines, ab egregiis & doctissimis viris prolatæ sunt, sed quæ pleræque vix magni æstimandæ videntur.

dentur. AELIUS a *mollitie* κατ' ἀντίφρασιν dictum putat, eo quod *nihil molle*, sed *asperum potius quid gerat*. FESTUS *in V. militem*. Alii a *multitudine*: nonnulli a *malo arcendo*; quidam a *malitia* vocis Etymon derivare voluerunt. Vir Doctissimus JOAN. GER. VOSSIUS *in Etymol.* aliam omnino hujus vocis originem amplectitur: quod *miles* dictus sit *a meles, ut amicus ab amecus. At meles a* μελεα, *id est hasta: ut milites proprie sint* δορυφόροι. *Vel* meles *dixere pro* meres *a* merendo. *Sane* merere *pro* militare *legere est, in inscript. Gruter.* Hactenus VOSSIUS *in V. miles*. Græco fonte hanc vocem cadere contendit MENAGIUS *Amœnit. jur. civ. in ead. voc.* A μιλαξ scilicet quod δημοτικὸν significat, id est *popularem*. Ex *milax* autem *miles* (sic olim scripsisse veteres, patet ex inscript. apud GRUTER. *Edit. Halmian. p.* 38. *n.* 7.) deinde *miles*. Sed quæ præ cæteris verisimillima originatio mihi videtur, ea est quæ a voce *mille*, *milites* deducit. Quam & VARRO *lib.* IV. *de L. L.* amplectitur: eo *quod trium millium primo legio fiebat, ac singulæ tribus Tatiensium, Ramnium, Lucerum, millia singula militum mittebant*, cui adstipulatur ISIDORUS *Orig. l.* IX. c. III. videndus quoque ULPIANUS *l.* I. §. I. *D. de Test. mil.* Maxime autem favet veterum scribendi ratio, qua *milia* vel *mile* olim exaratum fuisse videmus. Non aliter enim

vete-

veteres I productam pronunciarunt quam EI diphthongum: unde inlustris SCALIGER DOUZÆ sententiam confirmabat, *Lucilium*, non *Lucillium* scribi oportere; plane ut antiqui MILE vel MEILE non duplicata littera, prout etiam L simplici MILES vel MEILES scripsisse nos hic loci contendimus. Videatur C. VIII. LIPSII *de pronunc. Ling. Lat.* F. DOUZA *in C. Lucilii reliq.* Hanc nostram rationem egregie confirmat lapis vetustus quem Romæ vidit J. J. BOISSARDUS, & in elegantissimis ad PROPERT. *notis Eleg.* V. *Lib.* I. *v.* X. cum politiorum litterarum cultoribus iterum communicavit JANUS BROUKHUSIUS; in quo *milia* non *millia* scriptum apparet. Sic in sacramento militari a GELLIO memorato. IN. EXERCITU. DECEMQUE. MILIA PASSUUM. PROPE. FURTUM. NON. FACIES. ut SPONII *vias* & *miliaria*, GRUTERIQUE *milia numerum* non memorem. Quæ ad regulam CASSIODORI ex PAPIRIANO traductam, cuncta exacta videntur; *Mille*, inquit ille in CELLARII *orthograph. numerus a quibusdam per unum L Scribitur, quod milia dicimus non millia.* Cum itaque ex unaquaque tribu *mile* mitterentur ab eo numero dicti *milites*; quod etiamsi postea obsoleverit, nec ex unaquaque tribu numerus ille sit datus, nomen tamen, quod

antiquitus inde sortitus erat *miles*, retinuit. Quæ omnia ex Græcis confirmantur, qui tribunum Militum χιλίαρχον vocabant.

Omittere nequeo in libro MSS. quem Vir Doctissimus mihique amicissimus possidet hujus vocis originem referri ad קשל / *sagum*, aut ejus verbum קשל / *prævaricare, defraudare*, vel ad קול / *præcidere*, *secare*. Posset etiam derivari a מלחם / belligerans, ut *miles* sit pro *milmes*, præsertim cum bellum in oriente primum sit gestum, unde in occidentem & res forsan simul & nomen transivit. POMPONIUS MELA. lib. I. C. XII. *Phœnicen illustravere Phœnices, solers hominum genus, & ad belli pacisque munia eximium. Literas & Literarum operas, aliasque etiam artes, maria navibus adire, classe confligere, imperitare gentibus, regnum præliumque commenti.* Malim tamen ex Latio ejus originem petere, & propter rationes auctoritatemque adductam eam quam supra asserui, præ cæteris credere esse verissimam.

Nonnullis scriptoribus *militis* nomine *Pedites* tantum veniunt, & *Equitibus* contradistinguuntur. CÆSAR. *de Bell. Civ. l.* II. C. XLI. *Nec* MILITIBUS *quidem ut defessis, neque* EQUITIBUS *ut paucis, & labore confectis studium ad pugnandum virtusque deerat.* Utrumque hic ego complector, & per *militem* intelligo eum, *qui jurejurando adactus,*

cinctus

cinctus & in numerum relatus est; *sive* EQUES, *sive* PEDES, *sive etiam* CLASSIARIUS *sit*. *Equitem* & *Peditem* ſub voce *miles* venire probat *Rubr. Cod. de off. Mag. Milit.* cui adde L. V. *eodem*, *ut L.* 11. *Cod. de Apparat. Magiſt. Claſſiarium* vero *L.* 1. §. 1. *D. de bon. poſſ. ex teſt. milit. In claſſibus omnes* REMIGES, *&* NAUTÆ MILITES *ſunt*, Quanquam priſcis temporibus cum plerique claſſiarii non cives, ſed exteri eſſent, viliſque conditionis homines, unde parum honeſta militia navalis ſemper habita, eſt, fruſtra ſæpiſſime militiam legionariam petierint, & nonniſi ſub Imp. hanc impetraverint, donec *Claſſiarios* ex remigibus, *juſtos* fecerit *milites* Nero, & in unam conjecerit legionem, quam dum ut ad priſtinum ſtatum redirent, cogere voluit Galba, eaque recuſaret, partim occidi partim decimari juſſit. Suet. in Galb. c. XII. in poſterum tamen pro *militibus* iterum habiti; uti patet ex L. ſupra allegata, cui jungas *tit. Cod. Theod. & Juſtinian. de* CLASSICIS. Requiritur ut in numerum relati ſint: *Proinde qui nondum in* NUMERIS *ſunt*, *licet etiam lecti tirones ſint*, *& publicis expenſis iter faciant*, *nondum* MILITES *ſunt*: *debent enim in* NUMEROS *referri*: ULPIANUS *l.* XLII. *de teſtam. milit.* Cui obſtare videtur §. *ult. l. un. D. de bon. poſſ. ex teſt. mil.* auctore eodem ULPIANO. *Eſt enim* MILES *quamvis in* NUMERIS *non ſit*. Sed in priori loquitur

JURISCONSULTUS, de tirone, qui nunquam antea militiæ nomen dedit, nec sacramentum præstitit, quique adeo in numeros debet referri, antequam censeatur miles; cum in posteriori mentionem faciat de milite, ex alio numero in alium translato, qui *quamvis hinc sit exemptus, & illo nondum pervenerit*, tamen miles est; sacramentum enim præstitit & in *numeris* id est, catalogo, in quo necessario nomina erant perscribenda, erat relatus, etiamsi non esset in *numeris*, id est, ordine & turma; duplex hæc vocis enim significatio est. Vide si tanti est GOTHOFRED. ad *dictas Leges*. Sed monendum, gregariorum tantum militum, strictam hanc nostram definitionem esse; cum tamen acturi de *pœnis militaribus*, latissime quoque hanc vocem hic accipiamus, non excludendo centuriones, tribunos, cæterosque duces: veluti laxiori sæpissime hoc sensu hæc vox sumenda est. Sic iter per hostiles terras MILITIBUS concessum, & commeatus IIS datus ab inferioribus & mediis ad summos duces extenditur; ita ut *milites omnes omnino intelligam qui sacramentum dixerunt*. Vid. GROTIUM *de jur. Bel. & Pacis. lib.* III. C. XXI. §. XV. ibique GRONOVIUS.

POENA, ποινὴ a πόνος juxta SCALIGERUM ut μοῖρα, a μόρος, non vero a *puniendo* aut *pœnitendo*, quod post peccatum sequitur, ut vult

vult VARRO *de L. L. l.* IV. derivata (*ποινην* autem Græci dixerunt pretium quod homicida propinquis, & affinibus mortui tribuebat, ne homicidii reum agerent ut ex HESYCHIO ad HARPOCRAT. *p.* CCLXIX. MAUSSACUS docet) est nihil aliud quam *delicti seu criminis coërcitio*, quomodo & apud probatos auctores plerumque accipitur, Adeo ut per *pœnas militares* nihil aliud intelligam quam *delicti seu criminis a milite perpetrati coercitiones.* Et cum ignominia non minus quam gravissimo supplicio cœrceri possint milites: Ignominias sub hac pœnæ definitione comprehendimus, omissa TRANQUILLI distinctione qui in vita *Augusti c.* XXXIX. Ignominiam a Pœena separat *Cum quosdam pœna, alios ignominia notatos* refert.

Quemadmodum a milite perpetrata delicta, sunt vel *propria* quæ uti miles admisit, vel *communia* quæ pagani quoque perpetrant: sic eorum *pœna*, seu persecutio, est vel *propria* vel *communis*, ut ait ARRIUS MENANDER *l.* II. *D. de re milit. Propria* est, qua soli milites, *Communis* qua pagani etiam adficiuntur. Notandum tamen propter idem commissum flagitium, non eadem pœna in Militem & Paganum animadversum fuisse, cum militum delicta graviori plerunque supplicio punirentur, tum quod publicis alerentur stipendiis, adeoque strictiori

VINCU-

vinculo obedientiæ essent alligati, tum quod propter feros & infestos militum animos, severiores pœnæ, ad eos coercendos essent adhibendæ; ita ut *communis pœna*, ea sit, qua *miles* & *paganus* quidem fuerunt affecti, sed quæ in eodem delicto puniendo non adhibita est, cum longe mitiores essent paganorum, præ militum, coercitiones. De *propriarum*, & *communium pœnarum* distinctione plura vide sis apud FABRUM *Semest*. L. I.C. XVII. De *delictis* vero *militaribus*, cum de iis tantum quæ occasione pœnarum huc referri possunt agam, latius disserentem *Celeb*. VOET *de jure milit. c.* IV. Omnes pœnas (seu Legibus vel usu receptæ, seu pro ducum arbitrio fuerint adhibitæ) quibus milites Romanos punitos fuisse, in evolvendis eorum monumentis inveni, recensebo. HÆ vel *capitales* sunt, quæ vitam naturalem adimunt, vel etiam vitam civilem, libertatem & civitatem, hi enim quoque interire videntur teste ULPIANO *l.* LXIII. *§. ult. D. pro socio*. Vel *non capitales*, quæ salva vita, libertate, & civitate lenius delinquentes coercent. Cum sub *militis* nomine *Peditem*, *Equitem*, *& Classiarium* me complexurum supra dixerim, Pœnas his omnibus fuisse irrogatas debet intelligi; si cuidam militum classi nonnullæ fuerunt peculiares, suo loco de illis monebo. De Suppliciis capitalibus primo dicen-

dicendum, inter quæ primum locum sibi vindicat Verberatio.

CAPUT II.

Verberatio duplex: fustigatio, vel castigatio. Fustigatio, sive Fustuarium, ab admonitione fustium, vel castigatione plane diversa. Carnificum opera raro in militum pœnis adhibita. Modus irrogandi fustuarii supplicium. Gladiis & saxis in fustuario nonnunquam usi Rom.

Verberatio sic dicta a *verbere*, quo sontes cædebantur, duplex erat Romanis, Fustigatio scilicet, vel Castigatio. Illa peragebatur fustibus, & plerunque reo mortem afferebat ignominiosam. Haec vero virgis; & salva vita, dolorem tantum cum ignominia inurebat. De posteriori latius dicemus infra. Nunc de *fustigatione* quam *ξυλοκοπίαν* vocat Polybius *lib.* VI. c. XXXV. & alio nomine *Fustuarium* Latinis dicitur, sicque appellata est a *Fuste*, quod criminis cujusdam noxii eo percuterentur; nunquam vero *flagellis* aut *flagris*, quod servorum proprium suppliciùm fuit, unde *servilia verbera*

bera dicuntur Justino. i. v. *serviles pœnæ* Petronio *p.* lxxxviii. & *ad Flagra deducere*, pro *in servitutem redigere* legas apud Juvenalem *Sat.* x. *v.* cix. *Fustibus* autem liberos, *flagellis* servos fuisse percussos docet Macer *lege* x. *pr. D. de Pœnis. Ex quibus caussis* Liber Fustibus *cæditur*, *ex his* Servus Flagellis *cædi*, *& domino reddi jubetur.* & Callistratus *in lege* xxvii. §. ii. *D. eodem. Non omnes* Fustibus *cædi solent*, *sed hi duntaxat qui* Liberi *sunt.* Quæ cum ita sint, miror ab eruditissimis viris, inter quos Gothofredus *ad L.* vii. *D. de pœnis*; & Stewechius *ad Vegetium* lib. i. c. xxvi. Tarquinio Superbo primam hujus pœnæ originem apud Romanos adscribi, ductis auctoritate Suidæ *in voce* ξυπερβος, & Eutropii *lib.* ii. Græcus enim Lexicographus supplicia a Superbo excogitata enumerans, nullam fustium mentionem facit, sed μάστιγας id est *Flagella* invenisse scribit; quæ cum ita a fustibus fuerunt diversa, ut nunquam ingenuo & militari corpori admota sint: non satis recte intellecta voce Græca, hæc tradidisse, vel *fustes* a *Flagellis* in *fustuario* inaccurate distinxisse, viros doctissimos, non temere credo affirmaverim. Sileo quod in laudato Eutropii loco, nihil de Fustibus ejusque auctore Tarquinio Superbo reperias. Quanto rectius secuti fuissent

ſent viri docti, ISIDORI auctoritatem? qui *lib.* V. C. XXVII. præter Lautumnas, tormenta, metalla, exilia, FUSTES quoque Tarquinium adinveniſſe ſcribit. Sed monendum de Romanis tantum Iſidorum loqui, cum dubitandum non ſit multis ſæculis ante Superbum, & ante inventam Ferri fabricandi artem, ſicuti Fuſtibus & clavis, cum armis deſtituerentur primi terrarum incolæ, eos bella geſſiſſe, legimus, ſic ſceleratorum hominum improbitatem, ferri inopia, Fuſtibus coercuiſſe, quod adeo invaluit, ut invento jam Ferro, cum alia inſtrumenta in promtu eſſent, in nonnullis tamen pœnis exigendis, Fuſtibus præ ferro uti maluerint ſubſequentium temporum homines.

Notandum quoque magnam ſtatuendam eſſe differentiam, inter *Fuſtigationem* ſeu *Fuſtuarium* quæ pœna *propria militaris* erat, & *Fuſtium admonitionem*, quæ inter corporis coercitiones enumeratur ab ULPIANO & CALLISTRATO *in l.* VI. & VII. *D. de Pœnis*, militibus, ac paganis ſimul inflicta, quæque eos officii tantum commonefaciebat, & ne ſimile quid, aut pejus poſthac committerent erudiebat, unde κατ' ἐξοχὴν *animadverſio* dicta eſt, quod animadvertendi tantum gratia fieret; cum Fuſtuario condemnati ad mortem uſque cædi ſolerent teſte POLYB. *l.* VI. c. XXXV. Et licet; quod raro accidebat, quis,

quis, ex militum manibus evasisset, nulla hinc illi salus erat, nam neque domum redire, neque a suis recipi poterat; *quamobrem qui semel in eam calamitatem inciderunt planissime pereunt*, uti recte inquit, POLYBIUS. *l. c.* ideoque *percutere* in *fustigatione*, nihil aliud est quam φονεύειν, & *percussores* φονεῖς, ut docet VOSSIUS *ad* VELLEJUM PATERCULUM *l.* II. C. LXXVIII. Hinc non video, qui LINDEBROG *ad Amian. lib.* XXIX. *cap.* V. *edit. Gronov. p.* DCXXIII. similem huic poenae, eam esse, quae nostris moribus observatur, Teutonis *durch die spiesse lauffen*, dicta, affirmare potuerit: ipse enim fustuarium describens, dicit, damnatum omnes qui in castris erant caedendoque feriendoque gladiis, lapidibusque conficiebant: nihil tale in hodierno supplicio, uti cuique notum.

Ex eo quod mortem infligebat, quoque patet, non HANC: sed PRIOREM fustigationis speciem esse, quae a Doctoribus *flagellatione levior* dici solet. *Posteriorem* enim flagellatione longe graviorem esse, ex adductis satis elucescit. Cum haec contrario admonitione longe esset durior; quippe quae in homines fiebat NUDOS. Unde JUVENALIS *Satyra* VI. V. CCCCLXXVIII.

- - - - - *rubet ille flagellio.*

Cum ii qui animadvertendi gratia fuste caedendi erant, plerunque *vestiti* (aliquando tamen

vesti-

vestimentis quoque *detractis*; vid. Gell. l. x. c. III.) percuterentur, postea dimitterentur, & si causa propter quam ictus fustium essent passi, infamiam meruerat, ea notarentur; docente MARCELLO *l.* XXII. *D. de his qui not. infam.* de hac coercitione, vide *l.* 6. *&* 7. *D. de poenis*; ut & *l.* 28. §. 3. *D. eodem*: & nos infra latius, ubi de *castigatione*.

Cum Censoriis Legibus non Foro modo, sed & urbis domicilio exclusi fuerint carnifices; dubitandum non est, quin eorum nomen aeque vile, & despectum penes Romanos, quam apud plerasque hodiernas gentes fuerit: hinc raro corpori militari, eorum manus admovebantur; ac ne quidem in Christianorum suppliciis. A plerisque observatum jam est, non alios saepe carnifices ante Constantinum Imperatorem fuisse, quam milites stationarios qui fideles torquerent, ac de illis supplicium sumerent. Quod in Christianorum olim principe visum erat, cujus supplicio praeerat centurio ille, LUC. XXIII. *V.* XLVII. dum Christum suspendebant milites; ut patet narratione MATTHAEI XXVII. & diserte JOANNES XIX. *V.* XXIII. οἱ στρατιῶται ὅτε ἐσταύρωσαν τὸν Ἰησοῦν; illi scilicet qui judaeae procuratori apparebant. Τοῦ ἡγημόνος enim jussu, sive ille majoris, sive minoris esset dignitatis, milites in provinciis supplicium de damnatis exigebant: sicut

in castris & in urbe imperatoris jussu; nam & in urbe etiam militibus usos fuisse Imperatores, vel exemplo Cheraeae Tyrannicidae, apud JOSEPH. *Antiq. judaic. l.* XIX. c. I. probari posset. Sed ut in viam redeamus. In hoc quoque Fustuarii supplicio exigendo; non carnificum opera adhibebatur; sed Tribunus primus omnium Fuste damnatum attingebat, qui militibus postea objectus, humi prosternebatur, uti patet ex SUETONIO *in vit. Tiber.* c. LX. & TACIT. *Annal.* I. XXXII. *Prostratos verberibus mulcant.* Omnes dein in eum irruebant, & Fustibus caedentes conficiebant. *Quod supplicium* TRISTE, LIPSIO visum, *quod commilitonum, & commanipularium manibus interficerentur.* Sed si ex nostrorum militum ingenio judicare licet, nullam hanc tristitiae rationem esse puto. Quis enim, qui morum militarium non plane ignarus est, nescit? milites nostros summo sibi honori ducere, cum mortem meruerint, si sclopetis a commilitonibus interficiantur, *harquebuzeren*, & in ea calamitate illis solatii, & unicum tristitiae lenimentum hoc mortis genus esse; cum ex adverso, sibi, suisque turpissimum putent, si a carnifice morti tradantur, & inde magnam justamque tristitiae causam nostris moribus habeant.

GLADIIS pro *Fustibus* in non absimili

sup-

supplicii genere usos fuisse milites, liquet ex TACITO *Annal.* I. C. XLIV. *stabant pro concione Legiones destrictis* GLADIIS: *reus in suggestu per Tribunum ostendebatur: si nocentem adclamaverant, praeceps datus trucidabatur.* LAPIDES nonnunquam adhibitos fuisse docet POLYBIUS l. VI. c. XXXV. postquam damnatum fuste tetigisset Tribunus, ait factum, ut omnes Legionarii, qua Fustibus, qua SAXIS inibi intra castra; ut plurimum sontem necent. Non raro tamen, cum quosdam lapidatos legimus, militari potius flagitio, quam Legibus constituto supplicio id attribuendum esse puto. Quoties enim duces suos post detractam iis obedientiam, & ruptum obsequium lapidarunt milites? quod fatum subiit Imperator Posthumius, teste FLORO l. I. C. XXII. & Fabius Valens, tradente TACITO *Histor.* l. II. C. XXIX. A Fustuario diversum supplicium, LAPIDIBUS OBRUI, statuit STEWECHIUS ad VEGETIUM, quod an recte? aliorum judicio relinquo; testis saltem quo utitur vir doctissimus, non satis habilis est, ut mihi possim persuadere, lapidibus sontes justo supplicio apud Romanos obrutos fuisse, si Fustuarium excipias, in quo fustibus, SAXIS, omnibusque quae eorum manibus primo obveniebant, utebantur. Caetera exempla quae adduci possunt ad seditiones militares sunt

referenda. Viſo jam *Fuſtigandi* modo, ordo exigit, ut *delicta* quae hoc ſupplicio plectebantur recenſeamus. POLYBIUM ſecuti, ea in duas claſſes dividimus; & cum eo quaedam ἀδικήματα, alia ἐγκλήματα vocamus. Prioris generis ſpecies ſequenti capite enucleabimus. De ſecunda claſſe acturi capite quarto.

CAPUT III.

Vigilum negligentia Fuſtuario coercita. Ut & furtum. Falſum teſtimonium dicenti quoque inflictum. Item illi qui in flore aetatis corpore erat abuſus. Caſtitas Romanorum in caſtris. Servii aliorumque opinio, feminas in caſtris olim nullas fuiſſe, refutatur. Plurima a viris doctis in hanc rem prolata, ſub examen revocantur, & illuſtrantur. Feminas in caſtris fuiſſe probatur. Lipſii explicatio vocis ſcortum apud Livium & Florum refellitur. Cui ter ob eandem culpam multa fuerat irrogata, fuſtuario puniebatur.

DELICTA Fuſtuario punita ἀδικήματα a POLYBIO dicta quinque ſcriptor graviſſi-

vissimus recenset. I. Qui in excubiis, & circuitionibus negligentiores fuerant. II. Fures, qui dolo malo aliquid e castris surripuerant. III. Qui falsum testimonium dixerant. IV. Qui in flore aetatis male corpore usi deprehensi erant. V. Cui ob eandem causam ter mulcta fuerat irrogata. De singulis nonnulla dicenda in sequentibus.

Non sine summa ratione capitali supplicio eos duces minorum ordinum, qui in excubiis negligentiores fuerant, militesque qui dum in exercitus securitatem vigilias agere debuissent, sopori sese tradiderant, afficiebant Romani. Quomodo enim ab hostium insultibus, & externis invasionibus tutus erit exercitus? Si vigiles, quibus cura omnis & salus est demandata, in quos omnium incolumitas est deposita, incuria sua, & socordia milites, quia illi vigilare putantur, secure dormientes, periculum nullum cogitantes, ad internecionem caedendos tradunt. Plurima tum in Romanorum, tum in aliarum gentium historiis monumenta extant; ex quibus abunde patet maximos exercitus caesos fuisse & prostratos sola excubitorum negligentia. Sic Carthaginensium exercitus deletus, eorumque castra cum parva militum manu a L. Marcio occupata sunt. Et Capitolium a Gallis fere occupatum, nisi anserum clangore excitatus Manlius, eos qui

 vigi-

vigilum socordia ad muros jam penetraverant, fortiter repulisset. Alia exempla, si vacat, vide sis apud Celeb. VOET *de jure milit.* c. IV. *n.* XXV. Merito igitur Romani vigiles qui officio non recte erant functi, *Fustuario* vel Juris Consultis *l.* III. §. VI. *D. de re milit.* & *l.* X. *princ. eod. Capitali supplicio* affecerunt. De Romanorum cura circa vigilias, & circuitionum modo, eleganter disserit POLYBIUS *lib.* VI. quem vide.

Non minori studio curarunt Romani, internam castrorum securitatem, quam externam: & ne ex iis aliquid surriperetur summopere caverunt, quippe ubi aperta omnia, & incustodita, adeoque furum improbitati exposita sunt. Plurima exempla, quibus rigide eorum licentiam punitam fuisse probare possem, jam congerere piget; exactam circa furtum disciplinam satis licet colligere ex Sacramento militari quod nobis reliquit GELLIUS *Noct. Attic.* XVI. IV.

IN MAGISTRATU. C. LAELII. C. FILII. CONSULIS. L. CORNELII. P. FILII. CONSULIS. IN. EXERCITU. DECEM. QUE. MILIA. PASSUUM. PROPE. FURTUM. NON. FACIES. DOLO. MALO. SOLUS. NEQUE. CUM. PLURIBUS. PLURIS. NUMMI. ARGENTEI. INDIES. SINGULOS. EXTRAQUE. HASTAM. HASTILE.

STILE. LIGNA. NAPUM. PABULUM. UTREM. FOLLEM. FACULAM. SI. QUID. IBI. INVENERIS. SUSTULERIS. VE. QUOD. TUUM. NON. ERIT. QUOD. PLURIS. NUMMI. ARGENTEI. ERIT. UTI. TU. AD. C. LAELIUM. C. FILIUM. CONSULEM. L. VE. CORNELIUM. P. FILIUM. CONSULEM. SIVE. QUEM. AD. UTRUM. EORUM. JUS. ERIT. PROFERES. AUT. PROFITEBERE. IN. TRIDUO. PROXIMO. QUICQUID. INVENERIS. SUSTULERIS. VE. SINE. DOLO. MALO. AUT. DOMINO. SUO. CUJUM. ID. CENSEBIS. ESSE. REDDES. UTI. QUOD. RECTUM. FACTUM. ESSE. VOLES.

Ad hoc Sacramentum videndus Nobilissimus R. H. SCHELIUS *in notis ad* POLYB. *Thesaur. Celeb.* GRÆVII *Tom.* X. *p.* MCLXXVII, *& seqq.* Sed etiamsi POLYBIUS furibus tantum *qui e castris aliquid surripuerant*, hoc supplicium irrogatum scribat, de aliis autem nullam faciat mentionem, non credendum tamen est, eos qui extra castra, sive in expeditione essent occupati, sive prædandi gratia reliquissent exercitum, sive alio quocunque modo alienum abripuissent, a supplicio fuisse immunes, Legumque evitasse

severitatem. Nam praeter Aureliani, Pescennii Nigri aliorumque facta, quorum messem magnam nobis praebet historia Augusta, & quae, eo tempore quo jam neglecta melior jacebat disciplinae pars, severissime furum audaciam coercitam fuisse probant. Non desunt strictae hujus punitionis remotioribus temporibus usitatae testimonia. Sertorius ob rapinas integram cohortem securi percussit. Tiberius militem quia pavonem sustulerat mortis poena affecit; quanquam hoc crudelitati ejus adscribere videatur SUETONIUS *in ejus vita* c. LX. inter ea enim quae saeve, & atrociter, specie gravitatis, ac morum corrigendorum, cum naturae magis obtemperaret, factitasse Tiberium scribit, hoc in praetorianum irrogatum supplicium quoque enumerat: ad levitatem furti sine dubio auctorem respexisse putem, cum aliud furum supplicium furti exiguitati magis adaequatum in promtu esset: de qua poena latius infra.

SUMMA semper jurisjurandi religio observata fuit Romanis: *nullum enim vinculum* inquit CICERO *de off.* L. III. C. XXXI. *ad adstringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt. Id indicant leges in* XII. *tabul. indicant sacratae, indicant foedera, quibus etiam cum hoste devincitur fides: indicant notiones animadversionesque censorum; qui nulla*

de

de re diligentius quam de jurejurando judicabant. Omni prædicatione digna exempla, inviolatae fidei, ſicuti rerum geſtarum magnitudine populorum principes Romani extiterunt, eos fuiſſe, & hoc virtute omnes longe quoque ſuperaſſe, Poenoſque fortitudinis eorum bellicae diu quidem aemulos ea ſaltem ſemper viciſſe, ſatis ſuperque docent. Notiſſimum illud M. Reguli factum, qui cum ipſe captivos reddi debere Carthaginenſibus negaſſet, ad crudeliſſimum hoſtem, & atrocia ſupplicia redire, quam fidem hoſti datam fallere maluit. Sic ab omnibus non tantum deteſtatum iſtius factum eſt qui cum novem ſociis Romam miſſus, ibi remanere voluit, quia fidem quam de reditu in caſtra dederat ſolviſſe arbitrabatur, quod mox poſtquam egreſſus, caſtra iterum eſſet ingreſſus, aliquid ſe oblitum eſſe ſimulans, ſed & inſuper Senatus decreto, periurus ille vinctus ad Annibalem miſſus eſt. Ut Poenis foedifragis quanta eſſet eorum pietas oſtenderent. Sicque *periuria*, licet crederent, eadem ſatis habere Deum ultorem; quia *Deorum injuriae Diis curae ſunt*, ut loquitur Tiberius apud TACITUM *Annal.* I. c. LXXIII. impunita non prætermiſerunt: Sed in paganos non tantum *infamia*, aut *poena falſi*, *ſtellionatuſve* animadverterunt, verum etiam extra ordinem fuſtibus præbuerunt

castigandos; additis his verbis *προπετῶς μὴ ὄμνυε*, *petulanter ne jurato l.* XIII. §. VI. *D. de jurejur.* quemadmodum & de militibus criminis ejusdem reis, fustuarii supplicium sumebant.

Cum ad scelus quod non proficit scire *L.* XXXI. *Cod. ad L. Jul. de Adult.* patrandum, facilis & magna daretur militibus occasio, eo quod antiquis temporibus raro feminae, multi vero adolescentes in castris versarentur: nulli mirum videri debet, quod rigidissimis suppliciis in tanti criminis reos leges insurrexerint: & Marius Tribunum militum a milite, quem non verbis modo, sed & imperio tentaverat, interfectum, addita hac exprobatione, VIRUM ME SCITO, jure caesum pronunciaverit, laudibusque militem cumulatum dimiserit. Tanta enim Romanorum castitas fuit, ut tam domi quam militiae omnium pudicitiae consultum voluerint, quin & in castris diligentiori cura eidem prospexerint, ita ut castrensis, longe urbanam castitatem superaverit, & *juvenem urbano luxu lascivientem melius in castris haberi* scribat TACITUS *Annal.* II. C. XLIV. Nam cum in toga, lege Scantinia, pecuniaria primo poena tantum in paedicones esset constituta, qua X. millia cogebantur solvere. QUINTIL. *l.* IV. C. II. & nonnisi lege Julia capitale hoc crimen factum sit *l.*

XXXI.

XXXI. *Cod. ad l. jul. de adult.* inter milites tamen eo scelere damnati capite plectebantur, uti observavit Lipsius *Dial.* XVIII. *L.* v. *de M. R.* Praeterea inter togatos conjugia maxime curasse Romanos satis probat Lex de *maritandis ordinibus*, olim quidem lata, ab Augusto postea retractata & aucta, ut & *Papia Poppaea* quibus non praemia tantum in liberorum numerum constituta sunt, sed & poena & ignominia in eos qui Reipublicae detrimento caelibes remanserant dictata est; Sed cave ne ad milites haec pertinuisse credas; aliam calcandam viam in bello esse censuerunt cauti ac prudentes Reip. Romanae patres; summopere enim cavendum erat, ne feminarum luxuria effeminarentur militum animi, & corporis vires lascivia debilitarentur, atque ita ex viris fortissimis, redderentur impares ad sustinendos belli labores, quare militantibus donec Sacramento essent soluti, uxores ducere denegatum prohibitione, quae ad tempora Septimi Severi Imp. qui praeter jus aureorum annulorum, militibus in conjugalia foedera venire concessit, invaluit. Uti ex Herodiano *l.* III. probat *Celeber.* Zach. Huberus *dissert. ad l.* 63. *de rit. nupt. c.* 8. Sed ad eos hanc constitutionem tantum pertinuisse, qui dum caelibes erant militiae nomen dederant, ex eo, quod Romani milites

uxores

uxores habuerunt, ut tot Imperatorum orationes, Conjuges Ac Liberos Respicerent, teſtatum faciunt, liquet; omitto quod de gregariis ſolummodo militibus, non vero de praefectis, Tribunis, caeteriſque ducibus militaribus lata ſit, praecipuus enim legis ſcopus fuit, ut militum turba otium exueret, & rigore caſtrenſis diſciplinae, in officio contineretur. Quae ratio, olim quoque fuiſſe videtur, ut mos antiquus invaluerit, quo *remotae a caſtris fuerunt mulieres;* Feminisque Ea Intrare Non Licuerit; imo & maritos ſequi in provincias iis fuerit interdictum, *ne feminae*, ſcilicet, *in ſocios aut gentes externas traherentur; cum inſit mulierum comitatui, quae pacem luxu, bellum formidine morentur*, uti apud Tacitum *Ann.* III. XXXIII. cenſet *Severus Caecina.* Sed ſic placitum Olim, non vero ſua tempeſtate teſtatur Caecina, quum cenſet, *ne quem magiſtratum, cui provincia obveniſſet uxor comitaretur.* Olim autem illud referendum eſt ad tempus belli punici ſecundi, quo latae *leges Oppiae*, quibus mulierum luxuria reſtricta, earumque cultus oppreſſus, & cautum ne *juncto* vehiculo in urbe oppidove, aut *propius inde mille paſſus*, niſi ſacrorum publicorum cauſa veherentur: harum legum auctoritate ſeveritatem ſuam erga feminas defendit Caecina; ac ex adverſo Meſſalinus dum

dum Severo respondet, fatetur quidem Oppias olim leges latas fuisse, *sed remissum aliquid postea & mitigatum quia expedierit. Leges* vero *Oppiae* vigesimo anno postquam fuerant perlatae, frustra M. Catone renitente, fuerant abrogatae. Vid. LIVIUS *l.* XXXIV. Non igitur SERVIO, caeterisque commentatoribus, & gravissimae auctoritatis viris assentiendum est, cum ad illa *Aneidos l.* VIII. *V.* DCLXXXVIII.

Sequiturque (nefas!) Aegyptia conjux. *Cleopatra nempe Antonii in castris comes;* exclamationem hanc a poeta factam credunt, *quod mulier castra secuta esset contra Romanorum morem, quorum per Leges non licebat uxores in castris habere.* SERVIUS & GERMANUS *ad d. l.* DE LA CERDA *eodem.* DOMITIUS, MORELLUS, BERNARTIUS, BARTHIUS. *in lib.* V. *Sylvarum* STATII *in Abascant. pietàt.* &c. Nam tempore Antonii *ingens* illa *turpitudo*, quam apud majores fuisse dicit SERVIUS *loc. laud.* jam obsoleverat, & *mos* ille *notissimus* abierat in desuetudinem. Expressas autem leges quibus castrorum aditus feminis fuit interdictus, frustra credo in Romanorum monumentis, quaeres. Illae quibus prohibitum, ne *propius ab urbe mille passus* veherentur, jam diu erant abrogatae; ita ut SERVII alteram rationem a plerisque omissam amplecti malim, *nefas* scilicet a Ma-

rone

rone dictum, quod Antonius qui Romanus erat, spreto omni pudore, passus fuisset feminam peregrinam, *Aegyptiam*, quam invito R. P. duxerat, & *uxorem* vocabat, *in epist. ad Aug.* apud SUET. C. LXIX. eum in bello secutam fuisse, quam quod contra aliarum feminarum decora, & constitutas leges id Cleopatram fecisse crediderim. SERVIUS tamen, & sequentium turba, ut probent apud majores in ingenti fuisse turpitudine, si feminae sequerentur castra, nobis obtrudunt exemplum Pompeji, qui *bellaturus uxorem in Lesbo reliquit*, quo a veritate tamen historica, nihil magis alienum esse potest. Sileo quod ex tali exemplo generalis feminarum remotio minus recte statuatur, cum nulla sit consequentia a bello civili, in quo tum occupatus erat Pompejus, ad justum, moresque in eo observari solitos, neque ex eo, *quod belli civilis tempore uxorem in Lesbo reliquit Pompejus*, sequi *in ingenti fuisse turpitudine*, si in castra maritos uxores comitarentur. Observasse sufficiat Pompejum in castra prope Apsum uxorem secum duxisse, diuque retinuisse, & nonnisi instante praelio, non ob turpitudinem, sed periculi metum, removisse in Lesbum: testis luculentus est LUCANUS *lib.* V. *V.* DCCXVI.

Undi-

Undique collatis in robur Caesaris armis,
Summa videns duri Magnus discrimina Martis,
Jam castris instare suis; SEPONERE *tutum*
Conjugii decrevit onus, Lesboque REMOTAM
Te procul a saevi strepitu Cornelia belli
Occulere.

Hujusque remotionis *V.* DCCXXIII. rationem reddit, quod nollet

- - - - - - - *stare sub ictu*
Fortunae, quo mundus erat, Romanaque fata
Conjux.
- - - - - - - *tibi tuta latebra*
Lesbos ERIT.

Ex quibus, ut & aliis LUCANI locis plurimis, in ipsis castris ante remotionem Corneliam fuisse patet; clare autem ostendit Marcia, quae postquam ad pristinum conjugem Catonem rediisset, conqueritur, quod non aeque ac Cornelia mariti in bello comes esset. LUCANUS *lib.* II. *V.* CCCXLVIII.

Da mihi castra sequi: cur tuta in pace relinquar,
Et sit civili propior Cornelia bello?

Quae quaerela, si jungatur iis, quae ex Lucano de Corneliae remotione, supra allegatis versi-

versibus, proxime subsequuntur, ingentem illam turpitudinem, si unquam invaluit, illo tempore jam nullam fuisse, probabit. Rogat enim Marcia, ut Catoni marito sibi liceat esse comiti. Cornelia suadendo Pompejum vult adducere, ut se in castris retineat, non a se *seponat*, & in aliam terram removeat. Quod contra omnem pudorem, Legesque contrarium jubentes, tantorum virorum uxores flagitasse, vix mihi possum persuadere. Verisimilius itaque maritorum voluntati id adscribendum est, quibus non immerito visum, si conjuges in castra duxissent, ibique retinuissent, multis periculis eas fore obnoxias, ne clade aliqua accepta in hostium forte venirent potestatem &c. Quare tutius se facturum putavit Pompejus, si ante praelium in Lesbum secedere Corneliam juberet, eamque SEPONERET id est *removeret*, *procul a periculo poneret*, non autem quasi ante profectionem in castra, in Lesbum esset comitatus, deinde illic *reliquisset*, uti inaccurate innuere videtur *loco laudato* SERVIUS.

Sed cum communis haec doctorum virorum sententia sit, olim Romanorum legibus, vel more inveterato feminis castra sequi prohibitum fuisse. Quod & sub Imperatoribus adhuc invaluisse arbitrantur. Videamus an non ex historiarum monumentis

falsam

falsam hanc eorum opinionem esse probari possit. Eundem Antonium, de quo supra, Cytheris Volumnii liberta, quam uxorem mimam Antonii vocat CICERO *Philip.* II. postquam Galli Aegypti praefecti amorem spreverat, in Gallias secuta est. VIRGILIUS *Ecclog.* X. ℣. XXII.

- - - - - - tua cura Lycoris
Perque nives alium, perque horrida CASTRA *secuta est.*

Lycoris, id est *Cytheris*, mutatione nominis poetis usitatissima. Vid. DE LA CERDA *ad d.l. Virgil.* & nil contra morem solitum Antonium egisse, eo magis credendum est: quod sub Tiberio, *Romanum agmen ad similitudinem Barbari incessus* FEMINAE *converterint.* TACITUS *Annal.* III. XXXIII. & Plancinam, IDEM non reprehendat, quod Pisonem in *castra secuta* esset, sed quod *intra decora feminis* se non tenuisset, cum *exercitio equitum, decursibus cohortium* interfuisset. Sic sine ulla ignominiae nota uxorem in Germaniam duxit Germanicus. TACITUS *Annal. lib.* I. c. XL. Seditione in castris orta, UXOREM *perpulit ut abiret. Incedebat* MULIEBRE *& miserabile agmen.* & c. XLI. *Progrediuntur contuberniis:* (nempe milites) *Quis ille flebilis sonus? Quod tam triste?* FEMINAS *inlustres, non centurionem ad tutelam, non militem, nihil* IMPERATORIAE UXORIS, *aut*

comitatus soliti. &c. Eadem Germanici uxor Agrippina, mariti in Illyria, Epiro, Dalmatia, Euboea, & Lesbo comes fuit.

Non vacat jam, post viros Doctissimos Lipsium, Torrentium, Casaubonum de natali solo Caligulae hic disputare, sufficit ex antiquis credidisse plurimos in castris Imp. eum vitales spiritus primum hausisse. Testes sunt versiculi, imperante mox eo divulgati, tradente Suetonio *in ejus vita c.* viii.

In Castris *natus, patriis nutritus in armis,*
Jam designati principis omen erat.

Quibus adde Tacitum *Annal.* i. xli. *jam infans in* Castris Genitus. videndus quoque Aurelius Victor. De cujus rei veritate, cum jam inter antiquos sit disputatum, credendum non est, si contra mores egisset in castris Agrippina, silentio illos hoc *fuisse praeterituros*, ut sententiæ absurditatem magis ostenderent, opinionis, contrariae defensores. Sed disciplina, Tiberio principe, ita prolapsa erat, ut *vinclis exsolutis, jam & exercitus regerent* Feminae, c. xxxiii. & Caecina qui eam corrigere cupiebat, non *dignus tantae rei censor habitus sit* c. xxxiv. Non ignoro Augustum, Disciplinam severissime rexisse, uti nobis tradit Suetonius *in ejus vita* c. xxiv. *ita ut ne legatorum quidem cuiquam nisi gravate, hibernisque demum mensibus permiserit uxorem intervisere.* Sed

qui

quî ex his feminarum a castris remotionem nonnulli probare gestiunt, me non videre fateor. Non sequitur enim, non permisit Augustus relicto exercitu uxorem intervisere, ergo non licebat uxorem comitem in castris vel provinciis habere. Nam quoties ipse *Divus Augustus in occidentem, atque orientem meavit comite Livia?* ut verbis utar TACITI *Annal. lib.* III. C. XXXIV. sine ulla vel populi Romani, vel scriptorum offensione qui illum ut SEVERUM *laudant* DISCIPLINÆ RECTOREM, & STRICTUM OBSERVATOREM, *ac antiquum morem revocavisse* confirmant. Si quid durius circa feminas ab eo fuit constitutum, quia scilicet his Reipublicae temporibus Leges Oppiae, atque aliae omnes quae mulieribus duriores erant in desuetudinem abiissent, non diu per temporum licentiam hujus disciplinae observator Octavianus fuit. Quid vero addam imperii Augusti aemulum Antonium, qui non solum Cleopatram adduxit ad magnum illud certamen de orbis terrarum imperio, sed praelio navali quoque voluit pugnare, ut ubi de rerum summa agebatur in partem discriminis, laborum & gloriae quam exspectabat veniret AEGYPTIA CONJUX. Quid igitur? Pompejus, Augustus, Antonius, Germanicus totque alii viri inlustres, spretis legibus, pudore, & disciplina comites

habuerunt uxores? Sano homini credo nunquam id in mentem veniet.

Operae tamen pretium est, ut audiamus quid eruditorum multi, contra nostram sententiam protulerint. Locis quam plurimis ex poëtis potissimum desumtis, hanc Romanorum circa feminas severitatem probare contendunt viri docti. Ex PROPERTIO adducitur locus ille nulli non dictus. *lib.* IV. *Eleg.* III. *V.* XLV.

Romanis utinam patuissent castra *puellis*.

Patuissent, enallage pro *paterent*, inquit PASSERATIUS ad *h. l.* ita ut sensus sit: *utinam in castris admitterentur Romanae puellae*. Sed si quis attentius totam hujus poëtae Elegiam parlegere dignetur, verumque sensum indagare velit, nullus dubito, quin facile mecum deprehendat de *militia* feminis interdicta; mimine vero de *remotione a castris* vel *pudore* & *lege* quæ ab iis feminas arcebat debere intelligi. Arethusa enim vel quae sub hoc nomine latet Laelia Galla conqueritur quod a Lycota (Posthumo) tam diu abesse debuerit: quare felicem Hyppolyten praedicat, quod contra hostes dimicare, & armata castra sequi posset.

Felix Hyppolyte! nuda tulit arma papilla;
Et texit galea barbara molle caput.

Versuque sequenti exoptat, tali modo Romanis Castra ut pateant puellis, ut *armatae* scili-

ſcilicet inter milites incedere, maritorumque laborum & periculorum comites eſſe poſſent. Non ineleganter ipſe hujus loci explicationi favet PROPERTIUS *V.* XLVI.

Eſſem militiae ſarcina fida tuae.

Etiamſi ſarcinae inter impedimenta eſſe ſoleant: non tamen ego: quippe ſi liceret Romanis puellis *armatis* caſtra ſequi, Sarcina fida, *een getrouwe bultzak*, eſſem, quae in omnibus periculis tibi foret praeſto: omnium laborum comes, & incommodûm particeps. De hac *militia feminis interdicta* non raro poetae conqueſti ſunt. OVIDIUS. *Eleg.* XIV. *lib.* II. *Amor. V.* 1.

Quid juvat immunes bello ceſſare puellas,
Et fera PELTATAS *agmina velle ſequi.*

Quid a *militia* juvat feminas vel puellas arcere, & impedire quo minus PELTATAE & ARMATAE caſtra & exercitus poſſint ſequi. PAPINIUS STATIUS. *lib.* V. *Sylv. in Abaſcant. pietat. V.* CXXX.

---*Si* caſtra darent, *vellet geſtare pharetras,*
Vellet amazonia latus intercludere pelta.

Si Romanorum moribus & legibus uſitatum eſſet, ut feminae militiae poſſent nomen dare, vellet quoque ſecuri peltaque Amazonia ſeſe inſtruere, maritumque in expeditionem comitari. Aliter hunc locum interpretati ſunt plerique commentatores BERNARTIUS BARTHIUS, MORELLUS, DOMITIUS &c. qui-

bus adde De La Cerdam *ad Virg. V.* dclxxxviii. *l.* viii. de remotione enim ſexus feminini a caſtris, unanimiter Statium loqui credunt: cum tamen loquatur de Priſcilla, uxore Abaſcantii, qui erat occupatus in expeditione quam contra Sarmatas ſuſcepit Domitianus de qua Suetonius *in ejus vita c.* vi. quo tempore non uxores tantum, & feminas, ſed & totos meretricum, & concubinarum (*de Nerone* vide Sueton. *in ejus vita* c. xliv.) greges in caſtris habuerant duces, qui temporum licentia antiquos mores, & veterem diſciplinae rigorem in omnem libidinem & voluptatem mutaverant.

Regerentem mihi audio: etiamſi aliqua in parte nonnullorum Imperatorum incuria feminae caſtra invaſiſſent, hanc tamen maculam, cum aliis plurimis quae turpiter diſciplinam contaminaverant, aliorum cura & vigilantia iterum fuiſſe deletam, priſtinoque ſplendori reſtitutam forſan a Veſpaſiano, quem caſtrorum diſciplinam correxiſſe refert Suetonius *in ejus vita C.* iv. ita ut ſub Domitiano recte de feminarum remotione verba, *ſi caſtra darent* intelligi poſſint. Reſpondeo: circa feminas in diſciplina ab Imperatore ullo quid mutatum eſſe, nullibi legi: ſub Domitiano autem procul abeſſe, ut a caſtris more vel lege fuerint remotae, cum contra-

rio

rio JUVENALIS qui sub eo vixit satyra dignum vitium judicaverit esse in feminis, quod adeo Mathematicorum superstitionibus essent deditae, ut perterritae eorum numeris recusarent maritorum in castra comites esse: JUVENALIS *Satyra* VI. *V*. DLXXI.

Illius occursus etiam vitare memento,
In cujus manibus, ceu pinguia succina, tritas
Cernis ephemeridas: quae nullum consulit, & jam
Consulitur: quae CASTRA *viro, patriamque* PETENTE
Non ibit PARITER, *numeris revocata Thrasylli.*

Ita ut de *militia* feminis *vetita* PAPINII locum esse intelligendum, jam cuique patere credam. Hic obiter etiam notandum, nihil falsius esse exemplo, quod ut *feminis castra ingredi non licuisse* probet, ad dictum STATII locum adducit ejus interpres DOMITIUS. *Non licebat*, inquit, vir doctissimus, *mulieri castra ingredi. Inde illa indignatio Virgiliana:* Sequiturque nefas Aegyptia conjux. *Idem innuit Propertius: & Titus Mutius damnatus est, quoniam uxor Calvisii Sabini mala cupidine visendi situm castrorum habitu militari ingressa est.* Nam TACITUS *Histor. lib.* I. C. XLVIII. ex quo hic locus desumtus est, etiamsi scri-

 bat

bat Titum Vinium jussu C. Caesaris vinculis oneratum fuisse, non tamen, quod Cornelia Sabini uxor castra intravisset, illum reum habitum fuisse tradit, sed quia in principiis, in loco sacro, *Deorum quasi in conspectu*, ut loquitur vir Amplissimus G. CUPERUS *observ. lib.* IV. C. XIX. cum legati uxore adulterium commisisse putabatur, *vinculis est oneratus:* non *damnatus* uti DOMITIUS, cum mutatione temporum dimissus sit, & honorum cursu vitam transegerit, teste TACITO, qui nec *malam* vocat *cupidinem quod castra Sabini uxor esset ingressa*, sed *cupidinem fungendi officio militari:* hoc enim in ejus crimine non praeteriisset DION CASSIUS, qui tantum quod lustrasset, circumivisset vigilias, ac militaribus exercitiis interfuisset huic faeminae vitio datum esse scribit, *Vitio huic dabatur excubias ac militaria exercitia inspexisse*, DION. *lib.* LIX. quod & TACITUS docet, cum eam *vigilias & caetera militiae munia eadem lascivia temerasse*, scribit. Hocque vitium in Plancina eundem reprehendisse supra vidimus.

Non sum nescius, passim cum in rerum Romanarum scriptoribus, tum in Poetarum elegiis, CASTRA SEQUI, ARMA GERERE, & infinita alia quae BELLUM ejusque labores & incommoda significant, AMORI, *otio* & *tranquillitati* nec non *amoenitatibus* quibus

in urbe amantes fruebantur, quasi sibi invicem contraria opponi. Sed nullam rationem video, ut hoc cum viris haud indoctis, *mori* vel *Legi a castris puellas removenti*, debeamus adscribere. Non desunt enim rationes quae in causa fuerunt, etiamsi *omnibus paterent castra*, neminique libertas ea adeundi ulla constitutione esset ademta, raro feminas ea fuisse secutas. Omissa scriptorum fide & auctoritate: nostros mores inspiciamus. Quis unquam, quod singulis castris, plerorumque gregariorum militum, omnium fere praefectorum & ducum uxores domi viderit relictas, Mori vel Legi id statuenti adscripsit? Quis si a vulgari consuetudine quaedam recesserit, maritumque fuerit secuta, ingentem turpitudinem appellaverit? omnes vident, periculis, itinerum longinquitate & incommodis imbecillem sexum, laboribusque imparem a castris removeri: quod cur non pari & majori ratione de Romanis affirmemus non video, quippe qui in remotissimis regionibus, & extremis nonnunquam imperii finibus bella gerebant, ubi praeter molesta itinera, difficillimumque castrorum aditum, multis insuper & infinitis periculis feminae erant obnoxiae. Quo sine dubio respexit TIBULLUS. *lib.* II. *Eleg.* VI. *V.* I.

Castra Macer sequitur tenero quid fiet amori,
Si comes, & collo fortiter arma geret?
Et, seu longa virum, terrae via seu vaga ducent
Aequora, cum telis ad latus ire volet?

Quid Amori fiet, puero tam tenero, si voluerit esse Macri comes, & tanquam cacula castrensis ire cum telis ad ejus latus? uti exponit cultissimus hujus poetae interpres JANUS BROUKHUSIUS. Si quis autem maluerit, veterem lectionem retinere, & cum DE LA CERDA *in suis ad Virgil. comment. l.* VIII. *V.* DCLXXXVIII. feminarum a castris remotionis arbitrum statuere TIBULLUM, non illi adstipulandum esse puto.

Castra macer sequitur tenero quid fiet amori?
Sit comes, & collo fortiter arma gerat.

Quia videlicet absque amica in castris. Nam etiamsi hæc viri docti explicatio TIBULLI menti responderet: minime tamen totius feminini sexus remotionem probaret. Alium itaque hujus loci ita interpuncti sensum esse credo: TIBULLUS enim loquitur de Macro tanquam homine jucundo, amoenitatibus, & amori dedito, *un galant homme*, ita ut nesciat quid amori nunc fiet, qui tanto privabitur alumno, cum inter tubarum strepitum, & castrensia incommoda illi adesse, sacraque ejus colere non possit.

Hanc

Hanc remotionis feminarum causam eadem Elegia *V.* IX. intellexit TIBULLUS.

Castra peto: valeatque Venus, valeantque puellae,
Et mihi sunt vires & mihi facta tuba est.

Quicquid contra senserint viri docti, qui nullas feminas, uxores vel meretrices in castris fuisse contendunt, quod Romanis puellis ea petiturus valedixerit eques ille Romanus. Eadem ratione nullas fuisse Athenis feminas affirmare licet; PROPERTIUS enim illuc proficiscens Cynthiam suam valere jussit *lib.* III. *Eleg.* XX. *V.* XVI. qnod nemini tamen, in mentem unquam venisse putem. Objiciet quis, PROPERTIUM castra sequi voluisse, sed quod comites sibi habere puellas Romanas non posset, inertiam prae militari gloria elegisse. *lib.* II. *Eleg.* VI. *V.* XV.

Quod mea si tenerae comitarent castra puellae,
Non mihi sat magnus Castoris iret equus.
Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen,
Gloria ad hibernos lata Boristhenidas.
Tu mihi sola places: placeam tibi, Cynthia, solus.
Hic erit & patrio sanguine pluris amor.

Sed praeterquam quod de Cynthia loquatur PROPERTIUS, quam solam sibi placere ait, quaeque maritali vinculo Romae detinetur, cuique jam patere debet, impossibilitatem

eam

eam castra sequendi periculis &c. in hoc & huic similibus locis esse adscribendam, & ea factum esse quo minus Romanae puellae Propertium potuerint comitari, quare non nisi invitus militiae ille nomen dedisset. Ex his omnibus patet, infeliciter h. l. correctionem tentasse Scaligerum cum ex antiquo hoc more & corrupta membranarum lectione.

Quod si vera meae comitarem castra puellae,

Ita conjectura restituere voluit.

Quod si Romanae comitarent castra puellae.

Quae lectio Passeratio, aliisque Propertii interpretibus vehementer arrisit; non tamen Heynsio *in not. ad Ovid. Trist. l.* 1. *Eleg.* VIII. *V.* XXXI. qui supra adductam ita correxit, quam laudat, & in elegantissima hujus poetae editione nuper retinuit Janus Broukhusius.

Cum igitur itinerum longinquitati, & castrensibus incommodis, ut & pudori feminini sexus tribuendum sit, nullas fere feminas in castris fuisse: hinc quoque factum est ut inertes amatores, segnitiem, & inertiam, militari gloriae longe praetulerint: quod innumera poetarum loca nobis testatum faciunt. Ex pluribus Tibullum adduxisse sufficiat *lib.* 1. *Eleg.* 1. *V.* LI.

Te bellare decet terra, Messala, marique
Ut domus hostiles praeferat exuvias.
Me retinent vinctum formosae vincla puellae,

Et

Et sedeo durus janitor ante fores.
Non ego laudari curo, mea Delia; tecum
Dum modo sim, quaeso segnis inersque vocer.

Et verſ. LXVII.

Ferreus ille fuit qui te cum posset habere
Maluerit praedas stultus, & arma sequi.
Ille licet Cilicum victas agat ante catervas
Ponat & in capto martia castra solo.
Totus & argento, contextus totus & auro
Insideat celeri conspiciendus equo.
Te spectem; suprema mihi, cum venerit hora
Te teneam moriens deficiente manu.

Vid. quoque *Eleg.* XI. *l.* I. PROPERT. *l.* I. *Eleg.* VI. *lib.* III. *Eleg.* III. *V.* XXIII. *lib.* *eodem Eleg.* X. *&* *alios* &c. quos imitatus eſt D. HEINSIUS. *Eleg. juven. Eleg.* II. cum recentiorum poetarum plurimis.

Ex adductis, nullus dubito, quicquid viri Eruditi qui rem Romanam militarem ſcriptis illuſtrarunt, & pleriquc commentatores in contrarium euntes ſentiant, quin omnes mecum ſibi habeant perſuaſum, poſt abrogatas ſaltem Leges Oppias, Oppreſſamque a Caeſare Rempublicam, nullo more vel lege caſtrorum aditum feminis fuiſſe interclufum; ſed quibuſcunque ea patuiſſe; feminiſque maritos in provincias ſequi fuiſſe conceſſum, hoc enim SCTO confirmatum docet ULPIANUS *L.* IV. §. II. *D. de off. proconſ.*

proconſ. Proficiſci proconſulem melius quidem eſt ſine uxore, ſed & cum uxore poteſt. &c. Et PROPERT. *Eleg.* VIII. *l.* I. vehementer in Cynthiam invehitur, quod cum praetore in Illyriam eſſet abitura quodque in ejus contubernio navigare conſtituiſſet. Vid. quoque JUVENALEM. *Satyra*, VI. *Verſ.* CXXXVIII.

Nec obſtat, Lex quae ex Codice Theodoſiano poteſt adduci, quaque GOTHOFREDUS tempeſtate qua lata eſt, ut jam olim regulariter non licuiſſe militibus ex diſciplina militari ſecum militiae uxores habere credit. *Quicunque militum ex noſtra auctoritate Familias ſuas ad ſe venire meruerint, non amplius quam conjugia, liberos, ſervos etiam de peculio caſtrenſi emptos neque adſcriptos cenſibus, ad eoſdem Excellentia Tua dirigi Faciat. Dat.* III. *Kal. jun. Limonio & Catulino Conſſ.* 349. uti ſonant verba *L.* III. *Cod. Theod. de re milit.* Quid enim in hac lege, quo feminarum a caſtris remotio poſſit probari? An quia niſi ex auctoritate principis, non potuerunt Familias ſecum ducere, milites, Nec uxores ſolae eos potuerunt comitari? nemo conſequentiae levitatem non videt. Patet igitur hac lege conſtituere voluiſſe Imperatorem, ut ſi ex ejus indulgentia impetraſſent licentiam Familias (non uxores, hoc enim ſemper permiſſum) ſecum ducendi, non omnes quoſcunque qui in familia eſſent

ſecum

secum haberent, veluti propinquos, agnatos, libertos, & alios plurimos qui Familiae veniunt appellatione, sed conjugia tantum, liberos, servosque, non omnes, sed eos tantum qui de castrensi peculio erant emti, quod a Constante, qui Legis auctor est, ita constitutum, quia temporum lapsu, ex corrupta disciplina integras familias quibus exercitus onerabant, secum duxerant milites. Quod nemo credo jam negaverit: praesertim cum sub posterioribus Imperatoribus privilegia feminis maritos sequentibus sint concessa: *l. 1. Cod. de uxoribus militum. Temporalibus actionibus exclusis, mulieribus, quae cum maritis reipublicae causa absentibus peregrinatae sunt, ad exemplum militum, subveniri solere nou est ignotum.* Quae constitutio ab Alexandro lata, Anno CCXXVII. Sic praescriptio longi temporibus non officit ei quae diutissime cum marito fuit, qui militiae operam dabat, constitutione Diocletiani, & Maximiani Anno CCLXXXXIII. lata *l. 11. Cod. eodem.* Vide *l.* V. *Cod. solut. matrim.* L. XXI. *D. de capt. & postl. rever.*

Nonnullas objectiones quae adhuc supersunt, cum minime eas consentaneas putem, silentio praestat praeterire, praesertim cum in hac disputatione jam fuerimus longiores; non possum tamen, antequam ad POLYBIUM redeam, quin verbum addam de liberae Reipublicae temporibus. Stricta

Stricta Romanorum disciplina, expeditaque eorum militia efficit, ut non sine summa ratione dubitemus, an non primis temporibus mos invaluerit, quo feminis castrorum aditus fuerit interdictus: sed adeo accurate eum observatum fuisse, ut quorundam Imperatorum inertia, aliorum negligentia, nunquam aliquas ea invasisse, credere debeamus non mihi persuadeo. Auctores habeo LIVIUM *Epit.* LVII. & FLORUM *l.* II. c. XVIII. qui *Scipionem ad Numantiam duo millia* SCORTORUM *e castris rejecisse* scribunt. At per SCORTA, non MULIERES verum MULIEROSOS intelligit LIPSIUS. Scortum de viro dici non nego, sed cum ipse vir ille maximus, uti supra dixi, *libr.* V. *de M. R. dial.* XVIII. CAPITALE crimen, *ubi sexus locum perdidit*, inter milites fuisse dixit: quî credendum, Scipionem qui ignaviam, luxum, discordiam, caeteraque vitia, quae sub anterioribus Imperatoribus militum animos corruperant, corrigere, ac perdomare voluit, & exempla statuere quibus alii a patrandis criminibus possent absterreri, atque pristinam ita restituere disciplinam, tanti criminis reos, cum alias capite solerent plecti, nunc cum majorem severitatem quam mos ferebat adhibere voluit, e castris tantum eos ejecisse; si lenius ob multitudinem agere voluisset, decimare saltem, & poena ordinaria reos debuisset afficere. Hanc

Hanc meam rationem ſupra omnem dubitationis aleam conſtituunt ea quae de voce Graeca ex hiſtorico Graeco APPIANO De *bellis Hiſpan.* mecum communicavit vir Doctiſſimus „ Vitia, ſuorum militum Sci„ pio compreſſurus, ſimulatque in caſtra „ venit nihil antiquius habuit, quam ut mer„ catores omnes, SCORTA, Ariolos, ſacrificosque expelleret. Ελθὼν δὲ ἐμπόρυστε παντας ἐξήλαυνε, καὶ ΕΤΑΙΡΑΣ, καὶ μαντεις καὶ θύτας &c. *Scorta* interpretis Appiani quia vox eſt Flori & Livii epitomes retinuimus, ſed cadit tamen Lipſii interpretatio qui ad mares, Scriptorum Latinorum vocem retulit, Appiani oblitus, nam ΕΤΑΙΡΑΙ ſunt MERETRICES. Heſychius, ΕΤΑΙΡΑ, ΦΙΛΗ, ΠΟΡΝΗ καὶ ἑταιρεύουσα. Sic quoque Suidas exponit, AMICA, MERETRIX. Et notae ſunt ejus ΕΤΑΙΡΑΙ ΚΟΡΙΝΘΙΑΙ. Corinthiae MERETRICES, Laïs, Cyrene, Leaena, Sinope, aliaeque, omnes foeminae.

Nam celebres erant *Amicae Corinthiae*, & ob numerum, quae ultra mille erant in templo Veneri conſecrato, & ob pecuniam quam ob elegantiam venuſtatemque formae grandem demerebant, cum ſolos ditiores homines, admitterent. Ob illarum numerum factum videmus, ut Anacreon paucas quidem Athenis eſſe dixerit, at vero Corinthi longas ſeries vel integras catenas.

'Επειτα δ' ἐκ Κορίνθε
Θὲς ΟΡΜΑΘΟΥΣ ΕΡΩΤΩΝ,
Ἀχαΐης γάρ ἐςὶν,
Ὅπε καλαὶ γυναῖκες.

Illas autem delicias, Ditiores solos admisisse, unde earum divitiae, testis erit Aristophanes in Pluto. Disputatur illic de Pluti & nummorum potentia. Dixerat Chremylus, omnia nummis geri, Cario se ob egestatem servire, pergit Chremylus.

Καὶ τὰς, ἙΤΑΙΡΑΣ φασὶ τὰς ΚΟΡΙΝΘΙΑΣ
Ὅταν μὲν αὐτὰς τὶς πένης πειρῶν τύχῃ
Οὐδὲ προσέχειν τὸν νῦν. ἐὰν δὲ πλέσιος
Τὸν πρωκτὸν αὐτὰς εὐθὺς ὡς τῦτον τρέπειν.

Nam. foeminas, ac foeminas solas Aristophanem ἙΤΑΙΡΑΣ vocare, liquet plane ex oppositiore quam instituit Vers. seq. Cario.

Καὶ τέςγε ΠΑΙΔΑΣ φασὶ ταυτὸ τῦτο δρᾷν &c.

Quos versus elegantes quidem, sed minus verecundos, Latinos facere gravamur, ut de prioribus dixit Erasmus Adag. Chil. I. Cent. IV. Hinc Andocidi apud Harpocrationem, ἑταιρεία est ἑταίρησις, *Scortatio*: etsi alias de amicitia sumi soleat. Et ἑταιρῶ, ἐπὶ τῆς πόρνης. Καὶ ἑταιρήσας, πορνεύσας, καὶ ἑταιρήσεις, τὰς πορνείας interpretatur Suidas. Et Νόμος Ἀθήνησι, τὰς ἑταίρας ἄνθινα φορεῖν. Lex erat Athenis quae MERETRICES vestes variorum colorum gestare jubebat. Hinc Ἑταιρίσμιαι αἱ καλέμεναι τριάδες. Notum est

eſt μυρίας δραχμὰς a Demoſthene Laïda popoſciſſe, & frequens Adagium.

'Ου παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἔσθ' ὁ πλȣ̃ς

Etſi tamen alii aliunde ortum velint. Quidquid ſit, ΕΤΑΙΡΑΙ ΚΟΡΙΝΘΙΑΙ, omnibus intelligebatur non minus ac ἡ Σαρδαναπάλȣ τρυφὴ, ἡ Μηδικὴ χλιδὴ, ἡ Ἰωνικὴ ἁβρότης aliaque Maximo Tyrio illis conjuncta; Serm. XXXIII.

Tempus jam eſt, ut in viam & ad POLYBIUM redeamus. Quintum delictum ab auctore memoratum eſt *contumacia*, quando *quis ob eandem cauſam ter fuerat mulctatus*. Ignoranti diſciplinam ignoſcendum eſſe cenſent JURISCONSULTI *l.* III. §. IX. *D. de re milit.* & *l.* IV. §. *ult. eodem.* Sed quia iteratum delictum nullam meretur excuſationem; hinc qui tertium aliquid admiſit, poena competenti adficiendus eſt, & etiamſi leviori ſupplicio delictum alias eſſet puniendum, nunc fuſtuarii eum poena manebat. Rationem reddit Magnus LIPSIUS *de M. R. l.* V. *Dial.* XVIII. „ Cauſa eſt, quod talem „ pravo ingenio cenſebant, & factum ad „ peccandum. Fortaſſe & contumacia iis „ viſa punienda, & quod quaſi per contem„ tum, ludibriumque legis peccaret, „ Quare & contumaciam omnem militum capite puniendam eſſe, auctor eſt ARRIUS MENANDER *l.* VI. §. II. *D. de re milit.*

CAPUT IV.

Qui falso strenuum factum retulisset Fustuario affectus. Praesidii quoque vel stationis desertor. Lipsius refutatur. Qui arma abjecit itidem Fustuario occisus. Lipsii sententia refellitur. Varia adhuc delicta coercita Fustuario.

DELICTA capite superiori explicata, omnibus communia sunt, in pagano aeque ac milite capitalia: quanquam diverso supplicio punita, cum in milite, militari supplicio, *Fustuario* scil. coërcerentur: ideoque illa ut *crimina puniunt*, inquit POLYBIUS. Sequuntur jam quae militantibus fuerunt propria, quaeque eorum *ignaviae*, & *probro* adscribuntur, & inter eos capitali supplicio puniuntur: Haec sunt, quae ab auctore nostro ἐκκλήματα dicuntur, quorum tres species recenset. I. Si quis falso aliquod strenuum factum suum ad Tribunos honoris praemiique causa retulisset. II. Si quis in praesidio aut statione positus, per metum locum deseruisset. III. Si quis abjecerit armorum aliquid in ipso discrimine per metum.

Qui falso strenuum factum retulisset, capitali supplicio affectus est: supra de falso testimonio vidimus, quod crimen, cum hoc militari delicto minime est confundendum: in eo enim *contemta religio*; in hoc tantum *vana gloria*, fustuario tamen a Romanis verae & infucatae virtutis cultoribus punita. Cum enim infinita rebus bene gestis praemia essent proposita, quae nonnisi viris, qui egregiis factis ea meruerant, dabantur, nullo mendacio, vel fraude hoc decus corrumpi voluerunt, quod, nisi hoc gravissimo supplicio fuissent absterriti, non adeo difficile factu esset, cum praemia, cuique se ea meruisse profitenti darentur. Vide Lipsium *de Mil. Rom. lib.* v. *Dial.* xviii. qui ex Livio Scipionis judicium circa duos, qui de corona murali disputabant, refert.

Praesidii vel stationis desertor capitali supplicio affectus est. Ad eos qui *per metum* id fecerant haec restringit Polybius. *Arctius, & nisi fallor verius*, inquit Lipsius *l. modo laud.* In quo, quod pace tanti viri fiat, me illi non assentiri fateor, cum plurimae rationes me moveant, ut ab illo discedam. Suidas *loco* a Lipsio *adducto* dicit: *Severa in eo lex est Romanorum, ut moriatur qui* Caussa Quacunque *excesserit*, loquitur autem de *statione*. *Quacunque causa*, nulla hic ad *metum* restrictio est. Sic

generaliter quoque SUETONIUS *in vita Augusti* c. XXIV. *centuriones*, STATIONE DESERTA *itidem*, *ut manipulares*, *capitali animadversione puniit*. Pergit LIPSIUS: *Quid si impetus hostilis pepulit*, *& vis violenta? Omnis ratio est ignosci*, indeque *per metum* a POLYBIO ex LIPSII sententia recte additum: quasi si absque metu, ob aliam causam stationem deseruissent delictum non fuisset capitale: quod omnino falsum esse, ex auctoribus allegatis patet. Rationem vero LIPSII ob quam ignosci desertori debere putat, levissimam esse credo; praesertim cum ex Romanorum constitutionibus constet: *suis militibus Legem olim latam fuisse*, *ut aut vincerent pugnando aut morerentur: quippe viam nullam salutis aliam victis superesse*. POLYBIUS plane *in fine lib*. VI. Quid, si rationem velimus sequi, injustius? Quid, si Romana instituta consideremus aequius? In militia nostra, sine ulla quoque injustitia, capitali supplicio, non qui ob *metum* tantum sed *quamcunque causam* sine majoris jussu *stationem* descruit, affici, omnes sciunt, qui militarium constitutionum, non plane sunt ignari. Vide: *Art*. XXI. XXII. XXIV. XXVI. XXVII. XXVIII. *constit. milit*. & quae annotavit PAPPUS. Rogantem audio, cur supervacanea igitur haec verba POLYBIUS adjecerit. Respondeo: frustra

ab

ab auctore, & scriptore gravissimo, non addita fuisse; tantum nego, cum hac restrictione ad *metum*, Polybium significare voluisse, in eo casu desertionem solummodo fuisse capitale, cum respexerit ad ea quae supra tradiderat: *Haec delicta* scilicet, *ignaviae*, *& militari probro adscribi*: ignavia enim summa, & militare probrum *per metum stationem deserere*: Quod non idem, si ob aliam causam, puta ob *hostilem impetum*, aut *vim violentam*: quod nihilominus capitale sit, non adeo tamen ignominiosum ex stricta disciplina; quae temporum licentia corrupta, adeoque mitigata. Modestinus *l.* III. §. V. *D. de re mil.* *Qui* Stationis *munus relinquit, plusquam emansor est. Itaque pro ratione delicti castigatur, aut gradu militiae dejicitur.*

Eadem ratio in delicto sequenti retinenda, quae & maxime ex iis quae mox adducemus illustrari potest. Polybius illum, *qui armorum aliquid abjecerit in ipso discrimine* Per Metum, fustuario punitum tradit. Hinc iterum Lipsius: *Miles vitam amitti, si sua arma: cum duplici restrictione, si in acie, si per* Metum: quod posterius nego, cum ignaviae iterum, & probro militari sit adscribendum; generaliter enim Modestinus *l.* III. §. XIII. *de re milit. Miles qui in bello arma amisit, vel alienavit, capite punitur:*

tur: humane militiam mutat. & PAULUS in *l.* XIV. §. I. *D. de re milit.* simpliciter, ARMA ALIENASSE, *grave crimen est*, *&* *ea-culpa desertioni adaequatur*. Nullam de acie, discrimine, aut metu facit mentionem; unde recte colligas etiamsi POLYB. hoc crimen capitale dicat si in discrimine per metum arma abjecissent, non tamen hinc esse inferendum si alias alienassent, capitalem non fuisse poenam, rebus enim quoque strenue gestis, ob arma tamen simpliciter amissa, supplicium meruisse clare ostendit VALERIUS MAXIMUS *lib.* III. C. II. cum de Caesaris milite Scaeva Cassio refert, qui postquam diu contra hostium multitudinem solus pugnaverat, tandem vulneratus, relicto scuto, enatavit, sed viso imperatore, *armis non amissis*, verba sunt VALERII, *sed bene impensis cum laudem mereretur*, VENIAM PETIIT, *magnus praelio, sed major disciplinae militaris memoria*. Vide eximiae eruditionis virum J. PERIZONIUM *Animad. Historic.* p. CCXXXVIII. Quod Scaevae exemplum, cum jam olim a LIPSIO quoque fuerit adductum, miror a tanto viro non fuisse animadversum, ad metum hanc poenam non posse restringi, quî enim, quaeso, metu arma abjecisse dici potest, qui solus in scopulo Brittannico relictus, diu ingentem multitudinem sustinuit, ad extremum impar, acceptis vulneribus,

bus, scutum amisit. Ergo cum veniam petiit Cassius, Legem qua generaliter omnes, qui quacunque causa, rebus quoque strenue patratis puniebantur, in oculos habuit. Ut & caeteri omnes, quorum egregia facinora extant in Historia Romana, quique ad mortem potius pugnare, quam arma amittere voluerunt. Caeterum non arma tantum, sed & signa amisisse summum flagitium, morteque piandum. Sic Appius apud LIVIUM lib. II. *signo amisso signiferos, virgis caesos securi percussit.* Et cum sine flagitio arma amittere nequeant milites, hinc *postliminio reverti negantur, turpiter enim amittuntur. L.* II. §. II. *D, de captivis & de postliminio &c.* Nec apud Romanos tantum summum id dedecus, sed penes plerasque gentes fuga, amissis armis, turpis habita. Et apud Graecos summae injuriae, & convitii genus fuit, si *Ripsaspis* inde quis diceretur.

HACTENUS POLYBIUM secuti, delicta quaedam quae Fustuario plectebantur recensuimus: nonnulla eodem supplicio punita, ex aliis nobis suppeditantur. Sic ex *lege* III. §. XVI *D. de re milit.* fustibus caeditur qui AGMEN EXCESSIT. *Fustuarium* quoque *meruerunt Legiones quae consulem reliquerunt.* CICERO *Philip.* III. c. VI. LIVIUS *lib.* V. c. VI. *Fustuarium meretur qui signa relinquit, aut praesidio decedit.* LAMPRIDIUS de Ale-

 xan-

xandro Severo *in ejus vita c.* LI. tradit. *Si quis de via in alicujus possessione deflexisset, pro qualitate loci aut Fustibus subjiciebatur in conspectu ejus, aut virgis, aut condemnationi:* ubi in transitu notandum, per vocem *condemnationi*, *multam pecuniariam* (de qua infra) nonnullos eruditos commentatores intelligere, cum *condemnatio*, pro ea poena absolute quandoque posita sit, L. II. *Cod. Theod. de milit. veste. L.* I. eodem. *ne quis in palat. man.* &c. vid. GOTHEFREDUS *ad L.* XII. *Cod. Theod. de re milit.* quam sententiam quoque tuetur CASAUBONUS: quem impugnat SALMASIUS, de aliis suppliciis intelligendam, nusquam vero pro *multa pecuniaria* absolute hanc vocem positam esse affirmans: in quo tamen Virum summum errare, cum ex jure civili veteri, tum ex Impp. constitutionibus *l.* XXVIII. *Cod. Theod. de appel.* & iis quae adduxi, patet; quod latius probat Vir omni laude major EZECH. SPANHEMIUS *Orb. Roman. p.* DLII. HOMICIDIUM Fustuario etiam punitum fuisse, auctor est HIRTIUS. c. XXVII. *Miles qui fratrem suum in castris jugulasset, interceptus est a nostris & fuste percussus.* Plura recensere, si res tanti esset, in proclivi foret, sed haec de Fustuario sufficient.

C A-

CAPUT V.

Decimatio, quo modo exigebatur. Ob quae delicta adhibita. Vicesimatio & Centesimatio. Superstitibus hordeum datum. Ratio & origo hujus supplicii.

SECUNDO loco se nobis inspiciendum praebet aliud supplicii genus, *Decimatio* scilicet, sic dicta a *decimo*, eo quod cum legio aliqua, aut cohors delictum quoddam commisisset, decimus sorte ductus supplicio afficiebatur. Etsi quibusdam ipsa quidem *decimatio* proprie ac revera non poena, sed ad supplicium capitis, quod decimatis infligitur, quidam quasi gradus sit, ut inquit FABER *Semest.* I. C. XVIII. Ego tamen ipsam decimationem supplicii genus recte appellari arbitror; quia decimo quocunque milite caeso, superstitibus *hordeum* dabatur pro *tritico*; imo *decimare* est *decimum quemque supplicio afficere*. Modum eleganter describit POLYBIUS *lib.* VI. c. XXXVI. cujus verba ex interpretatione CASAUBONI, his subnectere non a proposito nostro alienum esse putamus. „ Si quando autem delicta „ eadem a pluribus contingat admitti, & „ mani-

„ manipuli universi hoste urgente cesserint
„ loco; ut omnes fuste percutiant aut ne-
„ cent, non est moris illorum: sed reme-
„ dium ei malo invenerunt utile juxta ac
„ terribile. Tribunus enim advocata con-
„ cione desertores in medium producit, eos-
„ que atroci oratione increpat. qua demum
„ finita, modo quinque sortitur, modo octo
„ modo viginti; atque ut verbo omnem
„ observationem complectar, id semper a-
„ git, ut pro numero noxiorum decimus
„ quisque semper eorum capiatur hos in-
„ quam ex omnibus qui ignave se gesserunt,
„ arbitrio sortis deligit, & inexorabiliter
„ sorte damnatos, fustuarii supplicio, quod
„ ante discripsimus afficit. Reliquis hor-
„ deum pro tritico admetiens, extra castra
„ & munitionem castrorum tendere eos ju-
„ bet. Atque ita quum periculum & me-
„ tus sortis ex aequo omnibus impendeat;
„ nemo enim scit in quem ea sit casura: ex-
„ emplum autem vescendi ex hordeo in
„ omnes pariter edatur; hoc instituto quam
„ maxime poterat fieri, consultum est utri-
„ que rei; ut & terror injiceretur, & ac-
„ ceptum detrimentum sarciretur „ Hacte-
nus Polybius. Ex his abunde patet occa-
sio, qua hac poena usi fuerint Romani; dein
modus in sontes, & ratio denique, quare in
eos ita animadverterint. De singulis dicemus
in sequentibus. Quan-

Quanquam in deditos contra omne jus fasque hoc supplicii genere Galba animadverterit, teste Tacito. *Histor. l.* I. c. XXXVII. eo tamen plerumque utebantur Romani, juris aequique observantissimi, si tota aliqua legio, aut cohortes, imo totus exercitus, vel adversus Imperatorem ducesque rebellassent, arma quibus pro patria uti debebant, abjecissent atque ita profugissent. Tum ne totius exercitus robur & vires attenuarent (in vita tamen Sertorii narrat Plutarchus, servos quos belli socios habebat Marius, Dominos necantes, uxoribus eorum & liberis stupra inferentes Sertorium Universos, non pauciores quatuor millibus, eodem in loco castrametatos jaculis confecisse) militum decimum quemcunque eam poenam quam omnes meruerant subire jubebant; aut si clementiores videri vellent, *vigesimum* vel *centesimum* sortiebantur, quod *vicesimatio*, & *centesimatio* dicitur. Capitolinus *in Opilio Macrino* c. XII. de eo refert. *Cum seditiones militares pateretur, multo saepius decimavit, aliquando etiam centesimavit; quod verbum ipsius proprium, quod se clementem diceret, quando eos centesimaret, qui digni essent decimatione, atque vigesimatione.* Sed an non quintus, quandoque vel octavus ad hoc supplicium lectus est? Scribit enim Polybius, quod modo quinque, modo octo, modo vigin-

viginti sortiti fuerint. Verum horum verborum sensum nobis dedit LIPSIUS *de M. R.* Dial. XVIII. lib. V. *pro numero* scilicet delinquentium interdum quinque vel octo occisos fuisse. *Pone*, inquit vir Maximus, *quinque decurias peccasse; quinque punientur; pone octo, octo; viginti, viginti: decimus* scilicet decuriarum. Nonnunquam tamen non in multitudinem sed auctores flagitii fuisse animadversum exemplo Scipionis nos docet POLYBIUS *lib.* XI. c. XXVI. qui postquam severa oratione omnes seditiosos in officium redegisset, de ejusdem auctoribus supplicium tantum sumi jussit.

MODUS quo utebantur hujusmodi erat: Signiferi & centuriones ejus cohortis quae nefas commiserat, damnante Tribuno, seu Praefecto ad mortem rapiebantur: gregariorum militum vero in decurias distributorum, decimus quisque sorte ductus ad supplicium eximebatur, & fustibus caesus neci dedebatur. Sic L. Apronius *Decumum quemque ignominiosae cohortis sorte ductos fuste necavit*, qua ille severitate *usus*, *raro ea tempestate, & e vetere memoria facinore*. TACITUS Ann. III. c. XXI. Et Augustus ad Promonam Liburnorum urbem; *Ex cohorte quod custodiam reliquerat, sorte jacta decimum quemque morte* mulctavit &c. *reliquos ea aestate hordeo, frumenti vice cibari* jussit, au-

ctore

ctore APPANO *in Illyr.* p. DCCLXVII. De Appio Claudio ex LIVIO l. II. c. LIX. supra locum adduximus. Ex quo praeterea notandum, etiamsi hujus supplicii auctor ignoretur, post exactos tamen Reges statim ab Appio, fuisse adhibitum; & tam vetustus ac Romanis proprius his mos fuit, ut inde *lex patria* vocetur a DIONYSIO HALYCARN. lib. IX. APPIANO, ac PLUTARCHO quos adducit LIPSIUS *de M. R. lib.* V. *c.* XVIII. Hoc supplicium autem diu ad tempus intermissum M. Crassus iterum adhibuit, & in usum revocavit, sicque ad posteriora transmisit tempora. Jam de *decimatis* vidimus, qui sorte ad mortem rapiebantur: superstitibus qui eam evitaverant non impune tamen fuit admissum peccatum. Nam his, uti ex POLYBIO, TACITO, & APPIANO supra allatis ostendimus, pro *tritico*, *hordeum* dabatur, quasi indigni viderentur communi militum cibo: extra vallum praeterea, eorumque tutelam tendere debebant. Sic cohortes decimatas hordeo pavit Augustus: SUETONIUS *in ejus vita* c. XXIV. Sed de *hordeo* pluribus infra, ubi de tenuioribus militum poenis.

RATIONEM melius exprimere non possum quam verbis CICERONIS quae habentur in *Orat. pro Cluentio.* c. XLVI. *Statuerunt majores nostri; ut si a multis esset flagitium rei*

mili-

militaris admissum, *sortitione in quosdam animadverteretur*, *ut metus videlicet ad omnes*, *poena ad paucos perveniret.* Nihil autem est si quis objecerit, rationem hanc nulla aequitate esse suffultam, quia eo modo, caeca sors insontem nonnunquam tangit, & *optimi strenuissimique quandoque hoc supplicio afficiuntur:* ut inquit, TACITUS *Annal.* XIV. C. XLIV. *num & ex fuso exercitu*; *cum decimus quisque fuste feritur*, *etiam strenui non sortiuntur*? Respondeo enim cum eodem auctore: *habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum*, *quod contra singulos*; *utilitate publica rependitur.* „*Sed istam politicam, credo* „*non agnoscet mitis magister ac dominus noster* „*Jesu Christus*, inquit FORSTNERUS *not. pol. ad Tacitum Annal. lib.* III. C. XXI. p. m. CCL. At ratio exigit, etiamsi a multitudine flagitium sit admissum, in auctores tamen praecipue saeviendum esse, ne iniquo sorte & insontes quandoque punientur; quod a Romanis nonnunquam quoque observatum ex POLYBIO de Scipione supra vidimus: idem docet LIVIUS *lib.* XXVIII. C. XXVI. postquam deliberatum esset an in auctores tantum seditionis animadverterent. vel an plurium supplicio vindicarent defectionem *Vicit*, inquit, *sententia lenior*, *ut unde orta culpa esset*, *ibi poena consisteret*, *ad multitudinem castigationem satis esse.* Vide PUFFENDORF.

DORF. *de jur. nat. & gent. l.* VIII. C. III. ibique interpret. Gallicum JOAN. BARBEYRAC.

CAPUT VI.

Securis & gladii poena. Lipsii Sententia refellitur. Speculatoribus munus caput amputandi demandatum. Non vero Tribunis. Lipsii argumenta refutantur.

Succedit nunc *Securis* & *Gladii* poena. Eaque eſt, cum quis ita damnatur, ut *ſecuri* aut *gladio* in eum animadvertatur; pertinet enim ad *capitis amputationem*, ſive *decollationem*, ut eam appellant SENECA *de ira l.* III. *c.* XVIII. & SUETONIUS *in vita Calig. c.* XXXII. Securis poena hoc modo infligebatur; delinquentes ad palum alligati, poſtquam virgis caeſi eſſent, ſecuri percutiebantur. LIVIUS *lib.* XXVIII. *c.* XXIX. *Praeconis audita vox citantis nomina damnatorum in conſilio, nudi in medium protrahebantur, & ſimul omnis apparatus ſupplicii expromebatur. Deligati ad palum virgiſque caeſi, & ſecuri percuſſi ſunt.* Centuriones, duplicarioſque, qui reliquerant ordines, virgis caeſos ſecuri percuſſit Appius Claudius

apud Livium *lib.* II. c. LIX. Piratas qui maria latrociniis infeſtabant, hac poena condemnatos fuiſſe docet Cicero *in Verrem* v. *Ecquem audiviſti in Sicilia antea archipiratam, qui non ſecuri percuſſus ſit?* Sed in militia *injuſta* id obſervatum fuiſſe recte monet Schefferus: in *juſta* enim ſi gravius quidquam commiſiſſent, vivi in mare dejiciebantur delinquentes. *Cap. de poenis navalibus.* Alio tamen ſupplicio in piratas quoque uſus eſt Julius Caeſar, qui cum ſe eos cruci affixurum juraviſſet, primum jugulari, dein juſſit ſuffigi; Suetonius *in ejus vita.* c. LXXIV.

Hanc ſecuris poenam liberae Reipublicae temporibus praeſertim uſitatam, gladii ſupplicium ſub Imperatoribus demum excepiſſe credit eruditiſſimus Taciti interpres J. Lipsius *ad lib.* XV. *Annal. p. m.* CCCCLXXXVII. Gladii ſupplicium enim *ignotum Reipublicae priſcae: etiam in militia. Ideo Lucanus*

—— *Nondum artis erat caput enſe rotare.*

Verûm neque in eo quod Reip. temporibus gladii poena fuerit ignota, viro doctiſſimo poſſum aſſentiri, neque, eo ſenſu Lucani locum accipiendum eſſe puto. Nam non voluit poeta, vel crebro, vel raro homines decollatos, ſed ſenſus eſt, quum aetate qua ſcripſit eo ars perveniſſet, ut celeriter & uno ictu res perageretur; aliter olim in morte Pompeji viſum, quum *non-*

dum

dum artis esset caput ense rotare, unde diu ac variis ictibus fuit vexatus. Quod patet ex praecedentibus, colla ponit Pompejus in obliquo transtro,

Tunc nervos venasque secat, (Septimius) *nodosaque frangit*
Ossa DIU: nondum artis erat caput ense rotare.

Sub Imperatoribus enim perfecte hoc artificium inventum: etiamsi antea jam diu usitatum; cum hac tamen differentia ut sub Imperatoribus demum didicerint artem uno ictu caput amputandi cum Reip. temporibus cervices tantum inciderentur, unde saepissime *jugulum praebere*, ex quibus quoque patet *Reipublicae priscae ignotum* non fuisse, uti latius mox ostendemus. Sed primum notandum: Gladii poenam quam securis, honestiorem dici à LIPSIO *ad Tacit. l. c.* & CASAUBONO *ad Suetonium in vit. Aug. c.* XV. *ed. Graev.* p. CXXIX. Ideo a Caracalla, cum Papinianus securi esset percussus, dictum, *Gladio te exequi oportuit meum jussum*; verum cum nulla a viris doctissimis adducta auctoritas sit, quae hanc securis prae gladio foeditatem possit probare, non video cur non cum VALTRINO in utramque partem haec verba possimus accipere. lib. VI. c. VIII. „Scilicet quod Caracalla Papiniano vel in „morte exhibitum honorem inviderit, aut

 „quod

„ quod ſupremo illo honore invidiae flammam aliqua ex parte extinguere optaverit, „ atque adeo conſtituere nondum poſſit, „ utra poena honeſtior ſit, gladiine an ſecuris. „ Locus enim a Lipsio ex *Xenophonte* adductus, quod capitis amputatio *pulcherrimum mortis genus* cenſeretur, ſi aliunde honeſtas probata fuiſſet, illuſtrare quodammodo potuiſſet, nihil tamen probare cum hic de Romanis ſermo ſit, auctor vero Graecus de Graecis loquatur. Casaubonus majori auctoritate inſtructus *lenius* ac *honeſtius* hoc ſupplicium vocat. Livius lib. VII. c. V. *Nec in acie tantum ibi cladis acceptum quam quod* CCCVII. *milites Romanos captos Tarquinienſes immolarunt: qua foeditate ſupplicii aliquanto ignominia populi Romani inſignior fuit.* Dein addit vir eruditiſſimus, *Cur tantae ignominiae hoc mortis genus haberetur, modus efficiebat, quem aperit paucis verbis* Florus *lib.* II. *c.* V. *Legatos quippe noſtros, ob ea quae deliquerant jure agentes, nec gladio quidem, ſed ut victimas ſecuri percutiunt.* Verum non mihi liquet *foeditatem* ſupplicii, relativè ad gladium ut honeſtius ſupplicii genus dictum a Livio; potius quod D. manibus ſuorum immolati erant *ignominiam* vocaſſe puto. Flori vero locus forſan per anticipationem ſcriptus. Sed ſi ex eo ſecuris pœnam turpiorem

rem gladii fuiſſe concedamus, neceſſe eſt ut cadat Lipsii ſententia, quam ſupra jam attigimus, *Reip. priſcae gladii ſupplicium fuiſſe ignotum*, nam quomodo ſecuris, gladio honeſtior dici potuit a Floro, ſi tunc nullus gladius? nullumque gladii ſupplicium? Omitto quod ante Imperatores ſaepius gladio in milites fuiſſe animadverſum doceat Hirtius comment. *de bello Afric. & Hiſpan.* Negandum tamen non eſt, quin ſub Imp. magis magiſque ſecuris ex uſu receſſerit, in cujus locum gladium ſurrogatum ac crebro poſtea adhibitum.

Speculatoribus plerunque munus caput amputandi fuit demandatum. Seneca *de ira.* I. c. XVI. *Extra vallum deductus & jam cervicem porrigebat, cum ſubito apparuit ille commilito qui occiſus videbatur. Tunc centurio ſupplicio praepoſitus, condere gladium* SPECULATOREM *jubet.* Militum quoque officium fuiſſe, contendit ad Tacitum Lipsius, & ad Vegetium Stewechius, ex Suetonio *in vita Calig.* c. XXXII. *Miles decollandi artifex quibuſcunque e cuſtodia capita amputabat:* quem ego *ſpeculatorem* fuiſſe, non ſine ratione me affirmare poſſe puto. Sic caeſo Cajo, Chaereas cum ad locum ſupplicii perveniſſet, Militem a quo uno ictu occiſus eſt, rogavit an exercitatus eſſet ad σφαγὰς, & an acutum haberet gladium. Sed

& Tribunos nonnunquam manu ſua ſupplicium ſumſiſſe, munuſque exigendi poenam gladii in eos fuiſſe collatum, affirmavit Lipsius ad Tacitum *Annal.* xv. Stewechius inſuper ſuſpicatur in doctiſſimis ſuis ad Vegetium commentariis, ad. l. i. c. xxiii. p. lxviii. *id ipſum tunc ita obſervatum, cum qui puniendus erat, aliqua dignitate reliquis anteſtaret.* Sed ex exemplis a viris iſtis eruditis allatis nondum mihi liquet, lata ſententia capitis, reum ullum Tribuni manu fuiſſe occiſum, niſi ob dignitatem, & auctoritatem hominis difficile nimis & arduum fuerit aperte eum aggredi. Ut Principes hodierni in magno periculo Praetorianorum ducibus, vel aliis fortibus viris utuntur ad tollendos cives, quorum nimiam metuunt potentiam. Sic praeterito ſaeculo in Gallia occiſus eſt juſſu Regis Ludovici xiii. *Marchio d'Ancre.* In Germania vero Dux *de Walſtein.* In aliis autem regnis plurimi, quorum nomina recenſere a propoſito noſtro omnino alienum foret. Ita Romanorum Imperatores in rebus trepidis & extraordinariis, Tribunis quorundam mortem mandaverunt. Non nego Tribunos quandoque vel centuriones praefuiſſe ſuppliciis, quorum milites exactores erant. Sed dico plane extra ordinem fuiſſe, Tribunos, aliosve Honoratos viros, propria

manu

manu damnatis perniciem intulisse. Hinc conqueritur Chaereas apud Josephum, se, Clementem, & Papinium, quibus caedes & quaestiones sæpius Cajus injungebat, per tam foeda ministeria ex militibus satellites & carnifices factos esse; quod nunquam ut indignum ad constandos fortissimorum virorum in Cajum animos commemorasset Chaereas, si sua manu de damnatis supplicium Tribuni ex officio sumsissent. Potuissent enim Clemens & Papinianus illi respondere: quid quereris nostra opera, nostra manu homines tolli, cum quos judicum Sententia damnavit, nostri muneris sit morti dare? & talia sunt Lipsii exempla, ut nostram confirment expositionem. Scilicet ubi nullae leges observabantur, ubi celeritate, fide, audacia, opus erat, non speculatoribus tollendi tradi poterant, sed facinus Tribunis quorum fides & audacia perspectae erant committebatur. Sic Plautius Lateranus Consul designatus contra omnem morem raptus in locum servilibus poenis sepositum, *manu Statii Tribuni trucidatur.* Tacitus *Annal.* xv. Sic in Claudii languore, perniciem sibi mutuens prorupit Narcissus, denunciatque centurionibus, & tribuno qui aderant, exsequi caedem Messalinae, illaque *ictu Tribuni transfigitur.* Tacitus *Annal.* xi. Sic Lepidus a Cajo successioni

destinatus, Tribuno cervicem praebuit, SENECA *epist.* IV. Ex quibus tamen probabat LIPSIUS, Tribunos ipsos de honestioribus, sua manu occidendo sumsisse supplicium ad TACITUM, & ad SENECAM. Quae quam debilia sint, imo falsa cuique abunde jam patere mihi persuadeo. Non enim illi Tribuni inlustres viros alia ratione occidebant, quam qua in tumultu Cajo a Chaerea occiso, Cesonia Tyranni uxor cum filia a Julio Lupo Tribuno quem Chaereas miserat interfecta est. Erant hi omnes, ut eos communi nomine complectamur, percussores immissi. Nam de Flavii caede nihil dico, cui equidem Vejanum Nigrum Tribunum praefuisse malim credere, quam fecisse, quum hoc in TACITO non legatur, sed haec tantum, *Poena Flavii Vejani Nigro Tribuno mandatur.* Speculatorum itaque, non insignium militum, nec Tribunorum hoc officium. Quidam autem speculatores (sic legendum esse non spiculatores docuit jam olim CUJACIUS obs. VI. XXXIII. & post eum LIPSIUS *ad Tacit.*) fuerint, vide sis in comment. CASAUBONI, & TORRENTII ad SUET. *Aug.* c. XXVII. *Calig.* & GOTHOFREDI *ad* L. VI. D. *de bonis damnat.*

CAPUT

CAPUT VII.

Praecipitatio de Saxo. Apud Romanos Saxum Tarpejum usitatum. Varii hoc Supplicio affecti. Transfugae. Fugitivi obsides. Vigiles negligentiores. Servi bello apud Romanos remoti. Posterioribus temporibus præcipitatio de saxo in desuetudinem abiit.

VETUSTUM, & ab antiquissimis saeculis usitatissimum supplicium fuit *Praecipitatio de Saxo*. Apud Romanos maxime celebre *Saxum Tarpejum*, aliquando simpliciter *Saxum*, nonnunquam *Tarpejum* dictum, est rupes vasta & confragosa, montis Tarpeji pars, cujus tanta erat altitudo, ut etiam secure aspicientibus horrenda esset. Eleganter describit SENECA *lib.* I. *controv.* III. „ Stat moles abscissa in profundum, frequentibus exasperata saxis, quae aut elidant corpus, aut de integro gravius impellant: inhorrent scopulis enascentibus latera, & immensae altitudinis tristis adspectus, electus potissimum locus ne damnati saepius dejiciantur. „ Huc veteres

teres Romani fontes & criminis damnatos ducebant: imitati tum Hebraeorum, tum Graecorum morem, in quorum Annalibus praecipitationis exempla plurima occurrunt. Vid. ÆLIANUS *Var. Hist.* l. XI. c. V.

Hoc fupplicii genere tam fervos quam liberos criminum graviffimorum reos plectebant Romani; fervum enim manifefto furto deprehenfum, verberibus afficiebant, & de faxo praecipitabant, uti erat conftitutum LL. XII, Tabb. quae in liberum hominem falfum teftimonium dicentem eandem poenam ftatuebant. A. GELLIUS *Noct. Attic.* XX. c. I. „ An putas Favorine, fi non illa etiam ex „ duodecim tabulis de teftimoniis falfis poe„ na aboleviffet: & fi nunc quoque, ut an„ tea, qui falfum teftimonium dixiffe con„ victus effet, de faxo Tarpejo dejiceretur, „ mentituros fuiffe pro teftimonio tam mul„ tos, quam videmus. „ Hinc manifeftum APPIANI ALEX. qui lib. III. de B. C. *liberis tantum hominibus* hoc fupplicium conftitutum dicit, errorem effe recte infert RYCKIUS *de Capitolio Romano*, *Cap.* IV. Ex omni autem fontium genere maxime hic fiftebantur, perduellionis, laefaeque majeftatis rei, ut & patriae proditores. Verum forfan cuidam mirum videbitur, inter poenas militares, hoc fupplicium recenferi. Fateor quidem propriam non fuiffe militum poenam:

imo

imo in eos rariſſime hoc ſupplicio ſaeviiſſe Romanos; ſed quia tamen, vel legibus conſtitutis, vel ducum arbitrio quosdam ob militaria delicta, quique militariter puniri debebant, de ſaxo legimus praecipitatos, hoc ſilentio nolui praeterire, ſed ſupplicium, quod ſeveritatis Romanae inſigne & luculentum teſtimonium eſt, tribus ſaltem verbis attingere. Milites igitur, quos de ſaxo praecipitatos fuiſſe, reperimus in Romana Hiſtoria, ſunt *perfugae*, qui Romam olim miſſi, virgiſque in comitio caeſi, hoc ſupplicium ſubierunt teſte LIVIO *lib.* XXIV. Qui & in *fugitivos obſides* irrogatum ſcribit. *lib.* XXV. Ut & in *vigilem negligentiorem*, qui cum in excubiis eſſet poſitus, Galloſque in capitolium aſcendentes non detexiſſet, de ſaxo praecipitatus eſt juſſu Manlii Capitolini, LIVIUS *lib.* V. Ipſe Manlius poſtquam libertatem, quam pulſis de Capitolio Gallis olim ſervaverat, opprimere tentaſſet de Tarpejo dejectus eſt, *locusque idem in uno homine & eximinae gloriae munimentum, & poenae ultimae fuit.* LIVIUS lib. VI.

Lege olim ſpeciali bello ſervi arcebantur, & nonniſi graviſſima urgente neceſſitate, eos adhibere fas erat, veluti factum tempore belli Punici ſecundi, quo ſervitia in ſacramentum militiae, a Romanis liberata ſunt, ut loquitur FLORUS *lib.* II. c. VI.

quare

quare capitalis poena in eos qui militiae ultro nomen dederant ſtatuta eſt ; auctore MARCIANO *in lege* XI. *D. de re milit. Ab omni militia ſervi prohibentur, alioquin capite puniuntur.* Vid. PLINIUM *lib.* X. *epiſt.* XXXVIII. De rupe capitolina nonnullos fuiſſe dejectos auctor eſt APPIANUS *lib.* I. B. C. Attamen de jure novo hanc ſeveritatem mitigavit JUSTINIANUS, juſſit enim ſi ſervus ignorante domino adſpiraſſet, & ſtipendia meruiſſet, dominum adire poſſe competentem judicem, ſuamque oſtendere ignorantiam, poſtea vero ſervos militia ſpoliatos, in dominium trahere. Sin vero ſciente domino miles factus ſervus eſſet, pro ingenuo haberetur, dominioque ſolveretur, & niſi militiae aptus & idoneus eſſet, cingulo interim quoque privaretur. Noluerunt enim Romani, animis ſervilibus, ſordidis plerunque rebus intentis, militiam quae ex generoſis, fortibus, & ad altiora natis hominibus conſtare debet, contaminari. Quare *miles, qui artem ludicram* fecit, vel *in ſervitutem ſe venire paſſus* eſt, eoque dedecore militiam commaculavit capite puniendus eſt. *ex l.* XIV. *D. de Poenis.* Verum ut ad ſaxum redeamus; Poſterioribus temporibus, ſive quod tetrum nimis, foedum, & horribile hoc ſupplicium Romanis viſum fuerit, quae ratio placet FABRO *Semeſt.* lib. I. c. XVIII.

&

& GOTHOFREDO ad L. XXXV. §. I. D. de Poenis. Sive, quod credere malim, temporum licentia, suppliciorum rigore neglecto, paulatim primo in usum esse desierit, postea obsoleverit; ex usu omnino recessit, & lex lata qua cautum, ne quis sic possit damnari, *ut de saxo praecipitetur*. l. XXV. D. *de Poenis*. Apud LAMPRIDIUM quidem Antoninum Caracallam, invitos quosdam de saxo praecipitari jussisse legimus, sed jam tum temporis in horrore adeo hoc supplicium habitum fuisse puto, ut Tyranni crudelitati potius, quam ordinariae poenae hoc imputandum sit. Qui plura de Tarpejo monte, & supplicii loco scire cupit, evolvat J. RYCQUII, *de Capitolio Romano libr*. Cap. III. & IV.

CAPUT VIII.

Transfugae pro hostibus habentur. Unde servilibus poenis afficiuntur. Quae militares tamen recte poenae vocantur. Crucis supplicium. Lupanus notatus. Transfugae crucibus affixi. Cassii crudelitas. Furca, duplex. Transfugarum Furca supplicium.

Q*uaedam delicta*, inquit MACER *in l.* XIV. *D. de Poenis*, paganis aut nullam,

lam, aut leviorem poenam irrogant, militi vero graviorem. Quae verba sic sunt intelligenda, ut si quis flagitium admiserit tanquam miles, gravius puniendus sit, quam paganus, qui eodem admisso delicto, nulla vel leviori poena est coercendus; non autem quasi atrociora supplicia in militia fuissent in usu, mitiusque pagani puniti si mortem meruissent; nam ex adverso gravioribus quibus provinciales, & alia extra militiam homines plectebantur immunes erant milites, sic *in metallum*, *aut in opus metalli non dabuntur nec torquentur*. MODESTINUS L. III, §. I. *D. de re milit.* & ad BESTIAS furcamque non damnantur: *eorum enim nihil patiuntur milites l.* III. *D. de re milit.*

§. X. Sed monendum de iis tantum hoc debere intelligi, qui militaris erant conditionis & dignitatis, quales non sunt *transfugae*, quippe qui pro *hostibus* non pro *militibus* habentur *l.* VII. *D. de re milit.* quare & iis nullum est postliminium PAULUS, *in l.* XIX. §. IV. *D. de capt. & postlim.* Et *ubicunque inventi fuerint*, *quasi hostes interficere* eos licet. l. III. §. VI. *D. ad L. Corn. de Sicar.* Nec ordinariis in militum delicta constitutis poenis illud nefas puniebatur, sed poenis servilibus, viliorum, vel gravissimorum criminum reorum suppliciis, veluti veneficorum, sicariorum, abigeorum &c. plectebatur.

tur. Uti BESTIIS OBJICI, quod servile supplicium est *L.* XVIII. *D. de appel. L.* XI. §. I. D. *ad L. Cornel. de Sicar. transfugis* quoque irrogatum. *Modestinus* L. III. §. X. *de re milit. Is qui ad hostem confugit, & rediit, torquebitur, ad bestiasque, vel in furcam damnabitur.* Notandum etiamsi *redierit:* sed si revertendo multos latrones adprehenderit, transfugasque demonstraverit, *posse ei parci Divus Hadrianus rescripsit l.* V. §. VIII. *D. de re milit.* Sed non praemio insuper affici, ut vult TIRAQUELLUS *de poenis temp. & mitig.* &c. *causa* XLIX. *n.* I. additur enim in d. l. *ei tamen pollicenti ea, nihil promitti oportere.* Vid. Verae & Solidae eruditionis JCTUS JOANNES VOET *de jur. Mil. c.* IV. *n.* XXI. quantumcunque enim, inquit Vir eruditissimus, „ emolumenti „ revertens Reipublicae contulerit, non ta„ men ad diluendum majestatis crimen, quod „ ad hostes transeundo contraxit, sufficere „ poterit: sic ut & illo casu, quo nullum „ ab eo supplicium fuerit exactum, ex me„ ra potius gratia atque Principis clemen„ tia quam ullo novo merito poenae remis„ sio indulta censeri debeat.„ *Bestiis* igitur *transfugae* objecti, & tales fuerunt quos posteriorem Africanum illo supplicio affecisse refert VALERIUS MAXIMUS, & Elephantis objecisse Aem. Paulum LIVIUS.

Cac-

Caeterum, observandum est, eos qui ita ad Bestias erant dammati, omnino diversos esse ab iis qui in arenam deducebantur, cum bestiis depugnandi causa, cum ad stipitem ligarentur, nullaque uti possent defensione, ad arcendum ferarum impetum.

Cum transfugam pro *hoste* non pro *milite* haberi supra dixerim; ut & *milites non objici*, mirabitur quis; quî inter Poenas militares hoc supplicium possit recenseri. Sed militares poenae non tantum sunt quae in generosos, & ingenuos statuuntur. Sed *omnis poena*, quae propter *militare delictum* irrogatur, etiamsi patrato delicto Sacramento sit solutus, & libertatem quandoque vel civitatem reus amiserit, & hinc pro *milite* non amplius habeatur: quo sensu inter militaria supplicia, *crucem* quoque recte posse numerari puto. Nam servilem aliàs poenam fuisse, servisque propriam docet PLAUTUS *Mil. Glor.* II. IV. XIX. & TACITUS Hist. II. C. LXXII. *conditione fugitivus, nomine Geta, sumtum de eo supplicium in servilem modum.* Quem virgis caesum ex ACRON. *comment.* in HORAT. credit LUPANUS *ad d.* TACITI *l.* cui non possum subscribere, cum per *servilem poenam* CRUCEM TACITUS intelligat. Sic *Annal.* IV. C. XI. *Asiaticus malam potentiam servili supplicio expiavit*, id est, *cruci affixus* est, veluti ubique hoc supplicium

cium ab auctoribus vocatur. Ex VULCATIO, & CAPITOLINO infra loca adducemus. Apud LIVIUM saepissime. Adde quod de' *fugitivo*, *loco* supra *allato* loquatur TACITUS; fugitivos autem, cruci fuisse affixos nemo paulo humanior ignorat. Si autem liberos homines in crucem actos legamus, id de viliori genere, ultimaeque sortis hominibus, vel de maximorum criminum reis intelligendum est; quales sunt *latrones*, hos namque crucibus affixos docet Evangelistarum historia. *Seditiosi*, uti patet exemplo J. Christi, qui turbarum & motuum civilium reus est delatus. *Sicarii* denique & *falsarii* crucibus quoque affixi sunt. Plura vide apud LIPSIUM in elegantissimo de *cruce* opere, quo jam dudum quid crux, & quotuplex fuerit, docuit.

Perfugas igitur, & fugitivos a Romanis in crucem actos fuisse docent VALERIUS MAXIMUS & LIVIUS: & jure merito, quippe qui adeo fuerant ignavi, ut arma quibus pro aris & focis uti debuissent, non erubescerent in Patriae & Reipublicae perniciem gerere, ac in propria quasi viscera convertere. Non idem dicendum de Avidio Cassio qui antequam ad imperii celsitudinem esset evectus & exercitibus Antonini Imperatoris praeesset, centuriones quosdam, quod sine mandato Sarmatarum in Danubii

ripis negligentius agentium vim cecidissent, crucibus affixit. Nam etiamsi severe contra praeceptum pugnantes, Romani punierint, quod ex Manlii facto abunde notum, non sine summa saevitia, & crudelitate in centuriones suo tempore hoc supplicio uti potuit Cassius, cum jam Quirites dudum a priori illa severitate recessissent: Corbulo enim, ignominia tantum notavit, extraque vallum tendere jussit praefectos & milites qui sine mandato *infeliciter* contra hostes dimicaverant. TACITUS *Annal.* XIII. c. XXXVI. De Avidio Cassio aliud exemplum refert VULCATIUS c. IV. *Multa extant crudelitatis potius, quam severitatis ejus indicia. Nam primum milites qui provincialibus aliquid tulissent per vim, in illis ipsis locis in quibus peccaverant in CRUCEM sustulit.* Quod & in Opilio Macrino reprehendit CAPITOLINUS c. XII. *Superbum enim, & sanguinarium* eum vocat, quod in crucem milites tulerit, & *servilibus suppliciis* semper affecerit. Hactenus de *Cruce*. Postquam Constantini Imp. constitutione, veneratione Salvatoris nostri, crucis poena sublata esset, in ejus locum successit *Furca*, CUJACIUS *observ.* XVI. I. *Furcam* autem duplicem facit LIPSIUS, *veterem* & *novam*; quam cum ad institutum nostrum non pertineat missam faciemus. *Vetus* sic dicta, quod priscis Roma-

manis tantum esset usitata, est duplex, *poenalis* vel *ignominiosa*. HAEC erat, cum ligno plaustri servorum collis imposito hi circumduci solebant, ob culpam aliquam ostentui, & ad irrisum. Tales vero *Furciferi* appellabantur, nomine in historiis & comoediis priscis satis obvio. ILLA erat, cum ligno duplici, itidem collo imposito, tam liberi quam servi circumducti ad mortem usque caedebantur. SUETONIUS *in vita Neronis* c. XLIX. *Nudi hominis cervicem inseri Furcae, corpus virgis ad necem caedi.* Hanc igitur mors consequebatur; & transfugarum poena fuit *L.* III. *§.* X. *D. de re milit.* De C. Mattieno refert LIVIUS *Epit. lib.* LV. *qui accusatus apud Tribunos, quod exercitum in Hispania deseruisset, damnatusque, sub Furca diu virgis caesus, & sestertio nummo vaeniit.* Hic autem, etiamsi virgis caesus, naturalem obiisse non videatur, mortem tamen civilem, quo libertatem, civitatemque amisit, passus est. Haec autem *poena* primo Lege Valeria, deinde Lege Porcia ab usu recessit, docente GOTHOFREDO *ad L.* VIII. §. III. *D. de Poenis* Litt. E.

Quartum transfugarum supplicium est *vivicomburium*. L. VIII. §. II. D. *de Poenis. Hostes autem, item transfugae ea poena adficiuntur, ut vivi exurantur.* Cum hostes jure gentium servandi sint, nunquam vero vivi

 exu-

exurendi; Cujacius *obs.* VI. *observ.* XXVII. hoc loco, pro *hostes autem, item transfugae*, legendum esse putat, *hostes autem id est transfugae.* Transfugas autem pro hostibus haberi supra vidimus ex l. VII. D. *de re milit.* cui adde legem XI. §. III. D. *de his qui notantur infam. Non solent autem lugeri, ut Nerativus ait*, HOSTES, id est *transfugae.* In Lege quoque XXXVIII. §. I. De hostibus nulla mentio: sed haec tantum: *transfugae ad hostes, vivi exuruntur.* Verum in d. l. VIII, nihil emendari debere contendit GOTHOFREDUS *ad L. I. Cod. Theod. de re milit. Hostium* enim appellatione veniunt quoque *perduelles*, qui hostili animo adversus Remp. & Principem animati sunt; tales vero a transfugis recte possunt separari, etiamsi aequaliter sint hostium numero, pro iisque habeantur, & eodem afficiantur supplicio. Caeterum *desertores* quoque quandoque *vivi combusti*. AMMIAN. MARCELL. l. XXIX. Ut & *Actores* qui in fundo iis latebras concesserant. *L.* II. *Cod. Theod. de desertoribus. Actor ejus fundi, in quo alienigena, vel idoneus militiae, vel ante jam traditus latuerit, ultima flammarum animadversione consumatur.* Et in L. IV. eodem. *Si quis latebram praebuerit desertori, possessionis in qua latuerit, amissione multatus etiam graviorem sententiam pertimescat. Porro Actorem flammis subjiciendum*

dum esse non dubites.&c. Supplicium quo usus est Avidius Cassius, & quod in ejus vita refert VULCATIUS sicco pede praestat praeterire.

HAEC de gravioribus & naturalem adimentibus vitam poenis militaribus, tam propriis quam communibus dicta sunto. Inter eas non recensui supplicia, quibus in milites noxios saevierunt posterioris aevi Imperatores; cum ad immanitates satius, & crudelitates, quam ad justas, usu, Legibusque receptas poenas possint referri. Nam ut inquit SALMASIUS *ad Jul. Capit. in Opil. Macrino c.* XII. „ Illa supplicia, non ex merito facinorum irrogantur: sed ex libidine ejus qui irrogat, quique suis tristissimis moribus indulget. „ Revera si Avidii Cassii, Opilii Macrini, aliorumque atrocia facta, quibus nihil apud Augustos Scriptores occurrit crebrius, velimus considerare, carnificum potius, & Tyranorum, quam Romanorum Imperatorum nomina meruisse videbimus. Opilius milites, qui stuprum hospitis ancillae intulerant duobus bobus mirae magnitudinis vivis apertis, iis jussit inseri, crudelitate omnibus tyrannicis immanitatibus tristiori, ut eam appellat CAPITOLINUS *in vita Opilii c.* XII. *quum ne adulteris quidem talia apud majores vel sui temporis essent constituta supplicia.* Capite eodem testatur CAPITOLINUS, *quod Tribunum*

qui excubias deseri passus esset, carpento rotali superadnexum per totum iter vivum atque exanimem traxerit *Opilius*. Pari immanitate, militem qui adulterium cum hospitis uxore commiserat, ita punivit Divus Aurelianus, ut duarum arborum capitibus inflexis & ad militis pedes alligatis, eadem subito dimitteret, ut ille scissus utrinque penderet, tradente VOPISCO *in Aureliano* c. VII. Quod supplicii genus apud Persas, Barbarosque usitatissimum, a Romanis semper in horrore fuit habitum. Nunquamque usitatum, postquam Metius Suffetius Tulli Hostilii jussu quadrigis dilaceratus est; primum, enim ultimumque illud supplicium apud Romanos exempli parum memoris legum humanarum fuit, ut inquit LIVIUS lib. I. c. XXVIII. imo etiamsi in proditionis reum, quo crimine, nullum in Republica severius puniendum est, ita saevierit Tullus: *Avertere, tamen omnes a tanta foeditate spectaculi oculos.* Quo jure jam, unius hujus Metii exempli auctoritate, hanc poenam inter ordinaria proditorum supplicia recensuerint nonnulli recentiorum Jurisconsultorum, cuique facile patebit. Sed missis Imperatorum crudelitatibus, ad supplicia, quae salva vita, libertatem vel civitatem adimunt, vel quae corporis inferunt mutilationem nos conferamus. De quibus in sequentibus.

CA-

CAPUT IX.

Servitus. Varii in Servitutem redacti. Liberti ingrati in eam revocati. Qui ad dilectum olim non respondebant servitutem servire cogebantur. Milites quandoque venditi. Pollices olim amputabant sibi ignavi. Eorum poenae.

SERVITUS non a *serviendo* uti nonnulli volunt, verum a *servando* sic dicta, ex allata a JUSTINIANO ratione in §. III. I. *de jure person.* jure gentium introducta, Romanis principi gentium populo, maxime fuit usitata. Apud hos enim varii fuere modi, quibus homo liber redigebatur in servitutem. De majore viginti annis, qui ad pretium participandum se venundari passus est, exemplum adfert Imperator in §. IV. J. *dict. tit.* cui ex *l.* II. *Cod. de libert. & eorum liber.* libertos ingratos possis addere. *Si manumissus ingratus circa patronum suum extiterit, & quadam jactantia vel contumacia cervicem adversus eum erexerit, aut levis offensae contraxerit culpam, a patrono rursus sub imperium ditionemque mittatur.* &c. Sic Claudius *In-*

gratos, *&* *de quibus patroni quererenter revocavit in servitutem*; teste SUETONIO *in ejus vita c.* XXV. Quod etiamsi late & generaliter a SUETONIO positum sit, ad unum tantum casum restringendum esse, docet CASAUBONUS ex MARCIANO L. V. D. *de jure patron. Divus Claudius libertum, qui probatus fuerit patrono delatores summisisse, qui de statu ejus facerent ei quaestionem, servum patroni esse jussit eum libertum.* Sed absque hac restrictione omnes ingratos in Servitutem fuisse redactos patet ex lege II. *Cod. de libert. & eor. lib.* supra allata, & lege IV. *d. tit. Libertinae conditionis homines, vel eorum filii etiamsi MILITANTES docebuntur ingrati, ad servitutis nexum proculdubio reducentur.* Vid. quoque TACIT. *l.* XIII. *Annal. c.* XXVI. Neque hi tantum servire cogebant servitutem, quippe in patriam ingrati, & qui ad *dilectum* (ita legendum esse, non *delectum*, ex Codice Florentino, & FESTO in V. *dilectus* ad Legem XXXVI. §. I. D. *de stat. liber. litt. m.* docet GOTHOFREDUS.) olim non respondebant, ut proditores libertatis in servitutem redigebantur. MENANDER in lege IV. §. X. d. *de re milit.* Vide VALER. MAX. *lib.* VI. *c.* III. Milites qui jam dudum militiae nomina dederant ob quaedam delicta vaenierunt, & in servitutem redacti sunt; de C. Mattieno supra ex LIVIO locum

cum adduxi, qui & lib. XL. refert; quod ipsum militem, quod ad exercitum non rediisset, bonaque ejus, Consul vendere jusserit. De Alexandro Severo in ejus vita narrat LAMPRIDIUS, illum cum aniculam quandam a milite injuria affectam, audisset, exauctoratum ex militia, servum ei dedisse. Equitem Romanum quod duobus adolescentibus, causa detrectandi sacramenti, pollices amputasset, ipsum, bonaque ejus, (Augustus) subjecit hastae, quem tamen, quod imminere emtioni publicanos (qui cum ex equestri essent ordine, equiti maxime favebant, eumque emere, & mox dimittere volebant) videret, liberto suo addixit, ut relegatum in agro pro libero esse sineret. SUETONIUS *in vita August. c.* XXIV. Hi autem tantum hominibus in servitutem addicebantur, poenae enim servi milites non fiebant L. III. §. I. D. *de re milit.* Hic obiter notandum, torpentes metu, ut & ignavos, pollices saepe olim sibi amputasse, ut armis gerendis essent inidonei, & ne militiae cogerentur nomina dare. C. Vettienum, quod sinistrae manus digitos amputasset, publicatis bonis, aeternis vinculis puniendum censuit Senatus.

Huic addi possunt variae poenae in ignavos istos *murcos*, quo nomine, jlocalariter vocabantur, constitutae; uti ex Historicis, & vetere ac

novo jure patet. Qui filium debilitavit, ut inhabilis militiae sit, præcepto D. Trajani deportari debet. L. III. §. XII. *de re milit.* Qui adeo ignavi fuerunt, ut cum dispendio corporis voluerint militiae necessitatem evadere, *si ad militiam inutiles, resectis digitis judicentur, curialibus muneribus atque obsequiis adgregari* debent, jussu Constantini *Cod. Theod. de filiis milit. apparat & Veter.* nonnullas poenas, & inter eas hisce longe atrociores invenies passim in dicto *Cod. Theod. tit. de tyron.* & alibi. Multi Viri eruditi ab hac pollicum truncatione, vocem Gallicam *Poltron*, qua ignavum ac metu torpentem hominem denotant, derivarunt. Vid. LINDEBROG. *ad* AMMIAN. At MENAGIUS in *Origin. Ling. Franc.* ab Italico *Poltro* originem vocis Gallicae deducere mavult, in quo, cum aliis gravissimae auctoritatis viris inter quos PUFFENDORF. *de jure Nat. & Gent. lib.* VIII. *cap.* II. illi adstipulandum esse concedo : sed nemo tamen credo negabit, quin vox ipsa Italica, ab hisce *pollicum truncatoribus* primo originem duxerit. Ea enim, nil nisi hominem ignavum, vecordem, ac timidum significant, quae omnia illi, qui sacramenti metu pollices sibi amputavit, quam optime conveniant, omnes sine dubio vident.

CA-

CAPUT X.

Exsilium. Exsilium voluntarium quid sit? Exsilium necessarium triplex. Milites in exsilium missi. Classiariorum exsilium.

EXSILIUM ab *ex* & *solo* appellatum, est proprie *commutatio loci poenae causa*. Hi enim, qui aliquid deliquerant, patria abire jubebantur, iisque aliae sedes adsignabantur: hinc proverbium Graecum de exsulibus *γῆν πρὸ γῆς*, *terram* pro *terra*. Excludimus igitur *Exsilium voluntarium* postea dictum, quo reis copia facta est ante sententiam alio abeundi, ut patet ex Tarquinii Collatini Cos. facto; hic enim timens ne postea privato sibi eadem illa cum bonorum amissione, additaque alia insuper ignominia acciderent, abdicavit se consulatu, rebusque suis omnibus Lavinium translatis, ciuitate cessit; LIVIUS. *lib.* II. Non autem poena hoc exsilium erat, verum eo evitabatur, & perfugium portusque erat supplicii, nec a judice, verum ab ipso reo sibi irrogabatur. Exsilium necessarium de quo hic agimus, triplex est MARCIANO l. v. d. *de interd. & releg. Aut certorum locorum interdictio, aut lata*

lata fuga, *ut omnium locorum interdicatur*, *aut in insulae vinculum id est relegatio in insulam*. Plurimae, eaeque diversae de hac lege JCTORUM sunt opiniones, quas si lubet videre, evolvas FABRUM *Semestr.* II. c. V. & ANTONIUM *de exilio* l. I. c. X. Non tantum cujuscunque generis & sexus liberos homines triplici hoc exsilii genere a Romanis fuisse mulctatos, exempla exhibent SUETONIUS August. c. LXV. OVIDIUS Trist. I. I. V. CLXXXXIII. Sed & MILITES qui clade Cannensi superfuerant in exilium missos in Siciliam fuisse, docet LIVIUS. Et AMMIANUS MARCELLINUS *lib.* XXII. narrat: *Romanus quinetiam*, *& Vincentius Scutariorum scolae primae secundaeque tribuni agitasse convicti quadam suis viribus altiora*, *acti sunt in exsilium*. Sic in Classiarios poena exsilii, quoque fuit animadversum, damnati enim, e navi in scapham demittebantur, exponebanturque in deserta quandoque vel ignota insula, ut ex STRABONE probat SCHEFFERUS *de milit. naval. Vet.* IV. c. IV. Militibus suis comminatus est Julius Caesar, se eos, si officio defuissent suo, vetustissima navi impositos, quocunque vento, in quascunque terras jussurum avehi. Ut refert SUETONIUS *in Jul.* c. LXVI. quomodo & in delatores animadvertisse Titum idem refert in ejus vita c. VIII. post Titum vero Tra-

janum

janum laudat PLINIUS *Panegyr.* c. XXXIV. Sicque a tyrannis in viros sanctos olim saevitum fuisse multis ostendit in commentariis ad SUETONIUM CASAUBONUS. *in Jul.* c. LXVI.

CAPUT XI.

Crurifragium. Militibus crura exsecta. Desertoribus pedes amputati. Furibus manus abscissae. Principia quid sint? Ibi pleraeque exactae militares poenae secundum Lipsium, a quo dissentit G. Cuperus, nodum solvit J. Perizonius. Sanguinis missio, hujus supplicii ratio a multis quaesita. Alexandri ab Alex. sententia, ut & Mureti, Thysii, Valtrini, J. Gronovii. Lipsii prae caeteris amplectenda.

Crurifragium proprium apud Romanos servorum fuit supplicium, *Thallo a manu, quod pro epistola prodita denarios quingentos accepisset, crura effregit* Augustus: SUETONIUS *in ejus vita.* c. LXVII. SENECA *de ira* III. c. XXXII. „ Magnam rem sine „ dubio fecerimus si servulum infelicem in cr-

„ ergaſtulum miſerimus, quod properamus „ verberare ſtatim, crura protinus frangere.„ Saepiſſime tamen vel in crimine vel propter alterius ſaevitiam, ab hac poena liberi homines non fuere immunes. Sic M. Mario cui vicatim populus ſtatuas poſuerat, cui thure & vino Romanus populus ſupplicabat, L. Syllam perfringi crura, erui oculos, amputari manus juſſiſſe, narrat SENECA. *de ira* III. C. XVIII. Poenam hanc in delatores ſub Commodo adhibitam fuiſſe ex EUSEBIO docet ad SUETONIUM CASAUBONUS. Militibus qui ſigna propria non ſequebantur, crura exſecta ſunt. Teſte AMMIANO l. XXIII. Cæterum notandum eſt, in membrorum mutilatione Romanos plerumque partem, qua quis peccaverat puniviſſe, quod in ſervis, hi enim ſi deprehendantur ad Barbaros transeuntes, aut pede amputato debilitentur &c. L. III. *Cod. de Serv. fugit.* & in liberis hominibus uſitatum. Sic falſariis amputatae manus, adulteris exſecta virilia, militibus transfugis abſciſſa crura, pedeſque amputati, ut *teſtatior eſſet improborum poena.* De Avidio Caſſio refert VULCATIUS in ejus vita c. IV. „ Multis deſertoribus „ manus excidit, ac poplites, dicens majus „ eſſe exemplum viventis miſerabiliter criminoſi, quam occiſi. „ &c. LIVIUS lib. XXV. *Cum transfugis novis multati virgis,*

ma-

manibusque praecisis Capuam rediguntur. Valer. Maximus l. II. c. VII. *Omnium qui ex praesidiis Romanorum ad hostes transfugerant, captique erant, manus abscidit, ut trunca prae se bracchia gestantes metum defectionis reliquis injicerent.* Furium quoque ordinarium supplicii genus fuisse, patet, ex Frontino *Stratagemat.* IV. 1. *M. Cato memoriae prodidit, in furto comprehensis, inter commilitones dextras esse praecisas, aut si lenius animadvertere voluissent, in principiis sanguinem missum.* Quo loco duo annotanda veniunt. *Primo:* pro *lentius* Lipsium, quod Faber aliique malunt rectius *lenius* reposuisse; deinde *eundem* in principes, quod Stewechius *ad* Vegetium retinet, & explicat *milites principales*, quos gregariis opponit, mutasse in *principiis. Principia* autem est locus castrorum sacer, ubi Castrenses Dii, Aquilae, aliaque signa asservabantur, in quo principes ordines tendebant, & conveniebant. Festus in *V. principalis porta.* Atque ibidem locorum pleraeque exactae poenae militares. Lipsius de M. R. l. v. *Dial.* XVIII. A quo tamen in contrariam sententiam abit, Vir Amplissimus Gisb. Cuperus, *Observ.* l. IV. c. XIX. Qui, cum Romani de noxiis extra urbem, poenas sumserint, & apud Senecam *de ira lib.* I. c. XVI. Hirt. *de Bello Alexand.* Veget.

GET. *de re milit.* c. XXIII. in damnatos per portam decumanam ductos animadversum fuisse legamus, milites in principiis quidem, ante oculos Tribunorum, Centurionum, militum, excubiarumque, infamia affectos fuisse, minime vero morte punitos, quod extra Vallum castrorum fuisse factum, Vir maximus opinatur, *ne sacra vel Dii castrenses tam foedo spectaculo polluerentur*; cum TACITUS HISTOR. l. I. feminam veluti sacrilegii ream carpat, quod in principiis, in loco sacro, Deorum quasi in conspectu, stupro se maculavisset. Verum cum exemplis plurimis, tam *in urbe* LIVIUS l. XXVIII. l. XXVI. *lib.* XXII. &c. SUETON. *Domitian.* VIII. TACIT. *Agric.* I. quam *in ipsis castris* LIVIUS VIII. XXXII. LIVIUS. IX. XVI. SUETON. *Othon.* I. &c. supplicium capitale exactum fuisse constet, & non fuerit necesse castra egredi, ne castrenses Dii polluerentur foedo spectaculo, qui equidem semper in aciem, & praelium efferrebantur, ubi multa patrabatur caedes tum hostium, tum civium, nodum solvit vir Celeberrimus JACOBUS PERIZONIUS, Extremis temporibus intra vallum in castris, de militibus gregariis supplicium sumtum fuisse, veluti olim cum priscus ille rigor Romae vigeret in Urbe, in Foro, in Comitio factum, affirmans; ut ita supplicii spectator esset populus, poenaeque possent

possent exemplo publico inservire, quod cum insequenti tempore adeo necesse non fuerit judicatum, supplicii locus extra Urbem missus, & in castris extra Vallum. Vide latius de hac re differentem, mirae eruditionis Virum J. Perizonium *diss.* I. §. XXIII. *& seqq. de praet.* *Secundo* ad Frontini locum notandum venit; *Missionem sanguinis*, inter militaria supplicia referri, hic, & apud Gellium *Noct. Attic.* X. VIII. Qui cum ejus rei rationem in veteribus litteris non invenerit, opinari se dicit, factum hoc primitus in militibus stupentis animi, atque a naturali habitu declinantis, ut non tam poena quam medicina videretur. Postea tamen, ob pleraque alia delicta idem factitatum esse per consuetudinem, quasi minus sani viderentur omnes qui delinquerent. Hanc rationem, & originem subtiliter a Gellio indagitatam scribit Faber Semest. I. XVII. eamque amplexi sunt plurimi Viri eruditissimi, inter quos Alexander ab Alexandro *Gen. Dier.* II. XIII. quia superflua sanguinis parte defluxa, se magis intra gyrum rationis continerent, cum illi qui sanguine abundant animi impetus rationi contrarios nimis habeant. At vehementer dubito, medicas rationes in exigendis suppliciis accurate adeo observasse Romanos, Gellio autem contradixit Muretus

Var. Lect. XIII. XX. qui id factum putat, ut sanguinem, quem cum gloria pro patria fundere noluerant, cum ignominia amitterent: hanc vero impugnat LIPSIUS: eo, quod furi haec poena intentata sit, ut ex FRONTINO vidimus, cujus sanguis pro patria fundendus non est. Pro MURETO autem ad d. GELLII *locum* respondet THYSIUS, originem hanc poenae fuisse, sed postmodum ad alia tralatitiam factam esse. Ipse vero, omnium subtilissimam addit; ut illi, qui in hostili sanguine fundendo parci, vel meticulosi fuissent, suum sanguinem amitterent; quam olim jam amplexus erat VALTRINUS lib. VI. c. VIII. cum, sanguinem militibus missum, ut pavoris ac timiditatis ignavos milites arguerent Romani, fuisse, scribit. In nuperrima GELLII editione quam adornavit Celeberrimus GRONOVIUS, putat Vir eruditissimus, olim hanc unam vel poenae vel ignominiae speciem fuisse inter milites, ut hinc Romanis in ore manserit, *dandum esse invidiae sanguinem*, quod deinde aliis notis inventis obtinuit in certo genere. Verum cum unicuique liberum suum judicium sit, fateor prae omnibus, quae a viris doctissimis productae rationes sunt, LIPSII sententiam semper mihi arrisisse, *id* scilicet, *fuisse* notam meritae, summae & ultimae animadversionis; quam cum clementia remisisset, spe-

ciem

ciem tamen ejus usurpabat in pauculo sanguine fundendo. Nihil clarius, & militaribus moribus convenientius. Cum enim in adductis supra rationibus, multae vagae & incertae sint conjecturae, quae probantur minus, quam a viris egregiis propria affirmantur auctoritate; & probatum nondum sit, *olim hanc unam vel poenae vel ignominiae speciem fuisse inter milites*, nil ex adverse est quod moribus Romanis, & locis quae de missione mentionem faciunt in LIPSII sententia, non conveniat. Furibus enim inflictam fuisse, scribit FRONTINUS, quos morte punitos, supra ex POLYBIO vidimus, manusque iis amputatos, ipso loco narrat FRONTINUS, si vero *lenius* id est *mitius* agere voluissent, & a graviori poena recedere, sanguinem mittebant, ut omnibus constaret, mortem, levi ea poena damnatum, meruisse; verum impetrata venia, & vita, hanc illi concessam esse, hoc levi supplicio ostendebant. Sic & hodie plurima in usu supplicia sunt, quae in capitalis criminis reos irrogantur, & quae etiamsi vitam non adimant, mortem tamen reos eam meruisse, satis superque ostendunt. Sed haec notiora sunt, quam ut aliquis ea possit ignorare.

CAPUT XII.

Verberatio quae castigatio dicitur. Etiam fustibus in castigatione usi Rom. Varia Fustium genera. Vite castigati milites. Sigonii & Coteraei error. Centuriones vite castigabant. Delicta ob quae milites fuerunt castigati. Castigatio navalis duplex.

VERBERATIONIS duas species esse, *Fustigationem*, & *Castigationem*, superius diximus, ubi multis Fustuarium sumus exsequuti. Nunc de *Castigatione*, sive *Fustium admonitione*, quam a priori supplicii genere omnino diversam esse, & Flagellatione leviorem pluribus supra ostendimus; ubi generaliter de duabus poenae speciebus verbum facientes, castigationem virgis exsequi diximus, si specialiter vero ad militiam, uti hoc loco, velis referre, non *virgis*, sed *fustibus* quoque, usos fuisse Romanos observandum est, virgarum enim inter milites usus rarissimus, nisi ubi mors per securim consecuta, quam virgæ solenniter tunc praeiverunt, docente LIPSIO *M. R. l.* V. *Dial.* XVIII. & ex eo, HARM. HUGONE *Mil. Equest.*

Equest. l. v. *c.* I. licet propter gravissimum admissum flagitium, nonnunquam virgis caederentur, postea regradatione tantum punirentur, nulla morte secuta. Exemplum C. Cottae videas apud VAL. MAX. *l.* II. C. VII.

Varia Fustium fuerunt genera, vel ex betula, vel ulmo, quercu, vel alia quadam materia; eae, quibus in milites animadverterunt, ex vite factae, quae in delictis, ut cum PLINIO, *H. N. l.* XIV. *c.* I. loquar, poenam ipsam honorat. Ideoque civibus reservata, LIVIUS *lib.* LVII. *Quem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset vitibus, si extraneus fustibus cecidit.* Loquitur autem de Scipione, ad Numantiam corruptam disciplinam, & luxuriam corrigente. Et passim apud auctores vite milites castigatos reperies; veluti in loco LIVII allato, quo, licet SIGONIO pro *virgis* ex vett. lib. *Fustibus* recte placuerit, non tamen cum eo *fustuarium* ibi facile intellexerim, cum hoc supplicium mors plerunque consequeretur, quod hoc loco factum in Scipionis animadversione minime ex LIVIO probari potest, cum ex adverso inter *civem* & *extraneum* nullam fuisse differentiam, LIVIUS ostendat, nisi quod hic *fustibus*, ille vero *vitibus* fuerit castigatus, nam ad mortem vite unquam militem fuisse percussum, nulla fide

historica probaveris; recte igitur castigatione vel fustium admonitione Scipionem usum fuisse; ac de ea; LIVII locum esse intelligendum puto; minime de poena quam eleganter describit POLYBIUS lib. VI. uti putavit SIGONIUS; castigationis quidem mentionem facit auctor graecus, sed tribus tantum verbis attingit, cum Tribunum *jus habuisse verberandi* scribit. *Castigationem per vitem* quoque male confundit cum *Fustuario*: & utriusque supplicii exempla promiscue adducit COTERAEUS de *jur. & privil. milit. lib.* III. *cap.* XVIII.

Officium autem exigendi castigationem Centurionum fuit, unde apud TACITUM; *Centurioni Lucillio vocabulum cedo alteram a militibus datum, fracta enim in tergo militis vite, alteram, & alteram poscebat. Annal.* I. Hinc *centurionum insigne fuit vitis*, ut inquit vetus Scholiastes ad JUVENALEM *Satyr.* XIV. V. CLXXXXIII.

——— *Vitem posce libello.*

Id est, ut centurio fias da libellos. Qui enim adepti vitem sunt, dicuntur Centuriones, teste EUSEBIO *Lib.* VII. *H. E.* Unde *Vitem* pro *centurionatu* praeter locum ex JUVENALE adductum, legere potes apud SPARTIANUM *in Hadr.* TACITUM *Annal.* I. MARTIAL. *l.* X. *Epigr.* XXVI. & LUCANUM. VI. CXLVI. Nonnunquam quoque vitis, datione

ne quidam designati tantum fuerunt Centuriones, ut post alicujus mortem, vel missionem, munus demum obirent; ut ex EUSEBIO alicubi probat CASAUBONUS.

Inter varia delicta, ob quae castigati milites; fuit, si quis segnius commissa negotia expedivisset, aut aquilas, aut signa tardius secutus esset. PLINIUS *Hist. Nat. lib.* XIV. *c.* I. *Centurionum in manu vitis, & optimo praemio tardos ordines ad lentas aquilas perducit, atque etiam in delictis poenam ipsam honorat.* JUVENALIS *Satyr.* VIII. V. CCXLVII.

Nodosam posthaec frangebat vertice vitem.
Si lentus pigra muniret castra dolabra.

Nodosam autem eligebant ad validiorem ictum. Videndus LIPSIUS *loco* saepius *citato*. De Fustibus passim jam satis egimus, inspiciendus adhuc ISIDORUS: *Fustes quibus juvenes pro criminibus feriuntur.* Ubi *juvenes* ipsos intelligas *milites*, ex saeculi istius more cum LIPSIO. De duplici castigatione navali; *una vulgari*, cum qui quid levius peccasset in navigio ei plagae aliquot cum funibus infligebantur. *Altera duriori*, cum gravius delinquentis corpus per thalamium trajectum ligaretur, ita ut caput deorsum penderet, pedesque essent in navi, pluribus egit SCHEFFERUS *de Milit. Naval.* IV. IV. cujus scrinia heic non compilamus.

CAPUT XIII.

Missio triplex. Ignominiosa. Ignominiose missi laborant infamia. Quirites, milites ignominiose dicti, ut & Pagani. Poena ignominiose missorum. Missio ignominiosa Exauctoratio quoque dicta. A Lipsio & Turnebo dissensus. Insignia militaria. Ad principia adesse. Discinctus ante praetorium stare. Cespitem quandoque portare ignominiae causa militibus injunctum.

INTER ignominias ad quas jam venimus, primum locum obtinet *missio ignominiosa.* Tres Missionum species, Honestam, Caussariam, & Ignominiosam recensent *Jurisconsulti* MACER & ULPIANUS *in* L. XIII. §. III. D. *de re milit.* & L. II. §. II. *de his qui not. infam.* passimque earum apud Historicos mentio est: SUETONIUS *in Julio.* c. VII. in *Vespas.* c. I. De ignominiosa autem quia sola proposito nostro inservit, hic tantum dicturi sumus. Est vero *Ea* secundum MACRUM *d. l.* XIII. §. III. *cum quis propter delictum Sacramento solvitur.* Non addidit

didit verba *ignominiae causa*, quae requirere videtur ULPIANUS L. 11. §. 11. D. *de his qui not. inf. quoniam multa genera sunt missionum.* Pergit deinceps *JCtus. Ignominiosa autem missio totiens est, quotiens is, qui mittit, addit nominatim*, ignominiae causa *se mittere, semper enim, debet addere, cur miles mittatur.* Verum non semper ea verba esse necessaria, modo militibus arma detraherentur, & omnibus solennibus quibus in exauctoratione uti solebant, adhiberentur, ex infra adductis, satis elucescet, nam si armis nondum ademtis, mitterentur, *ignominiae causa* eos mitti, addi fuit necesse; Ipsum audiamus ULPIANUM l. c. *sed si eum exauctoraverit, id est insignia militaria detraxerit, inter infames efficit, licet non addidisset, IGNOMINIAE CAUSA se eum exauctorasse.* Utriusque rei exempla extant apud Historicos, quae ad majorem dilucidationem operae pretium est hoc loco inserere. VALERIUS MAXIMUS *lib.* 11. *cap.* 11. ubi Pub. Rutilius Cos. eo bello quod in Sicilia, cum fugitivis gessit, Q. Fabium generum suum, quia negligentia Taurominitanem arcem amiserat, provincia jussit decedere. HIRTIUS *de bello African.* Ubi Caesar; *itemque te A. Fontei quod Tribunus militum seditiosus, malusque civis fuisti, ab exercitu dimitto.* Ex quibus locis absque *ignominiae* additione mis-

G 5 sos

ſos apparet; dubitandum tamen non eſt quin antequam hi fuerunt remoti, arma illis ademta, & ut inſignia militaria, & ſagulum deponerent fuiſſe coactos. Aliam miſſionem, cui ignominiae mentio addita, eleganter quoque deſcribit HIRTIUS. *Caeſar poſtera die, de ſuggeſtu convocatis omnium legionum Tribunis, Centurionibuſque. C. Aviene quod in Italia milites Populi Romani contra Remp. inſtigaſti, rapinaſque per municipia feciſti, ob eas res IGNOMINIAE cauſa, ab exercitu meo te removeo; hodieque ab Africa abeſſe, & quantum potes proficiſci jubeo.* SUETONIUS in vita Caligulae cap. XLIV. de eo refert; *Poſtquam caſtra attigit, ut ſe acrem & ſeverum ducem oſtenderet, legatos, qui auxilia ſerius ex diverſis locis adduxerant, cum ignominia dimiſit.* Gregarii igitur non tantum milites, ignominioſe dimiſſi, ſed & Legati, uti ex h. loco; Tribuni, ex iis quae ex HIRTIO vidimus, quae omnia confirmat ULPIANUS L. 11. pr. *D. de his qui not. inf. Quod ait praetor:* qui ab exercitu dimiſſus erit: *dimiſſum accipere debemus militem caligatum, vel ſi quis alius uſque ad centurionem, vel praefectum cohortis, vel alae, vel legionis: vel tribunum ſive cohortis ſive legionis dimiſſus eſt.* Caeterum qui exercitui praeeſt, licet conſularibus, utatur inſignibus ſi ignominiae cauſa miſſus eſt, infamia laborat.

rat. ULPIANUS d. l. Qui non additis verbis *ignominiae causa* mittebantur, arma cogebantur deponere, ut supra dixi, quae egregie probat missionis formula apud LAMPRIDIUM *Hadr. c.* LIV. *Quirites discedite, atque arma deponite.* LUCANUS *lib.* V.

—— discedite castris
Tradite nostra viris ignavi signa QUIRITES.

SUETONIUS *in Vita Vitellii cap.* X. *quicquid praetorianarum cohortium fuit, ut pessimi exempli, uno exauctoravit edicto, jussas Tribunis tradere arma.* Ex LAMPRIDII, & LUCANI locis modo allatis, non *milites*, quod honorificum, & gloriosum nomen, sed *Quirites* quod turpe valde, & ignominiosum est militantibus, eos vocatos esse vidimus, & ex SUETONIO patet, Caesarem una voce; qua *Quirites* eos pro *militibus* appellarat, tam facile circumegisse, ut ei *milites* esse confestim responderint. SUETONIUS *in Jul.* C. LXX. Sic aliquando dicti quoque *pagani.* TACITUS *Annal. lib.* I. *cap.* XIX. Et notae iis appositae, quas ignominiam remittendo, nonnullis demsit Vitellius; SUETONIUS *in ejus vita cap.* VIII. Hi itaque ignominiae causa missi, discincti, & nudi in exilium quasi proficisci debebant; nam ubi Imperator erat, agere non poterant, nunquamque iterum in militiam recipi, quia inter infames recensebantur; si

in

in perpetuum scilicet fuerunt missi, nam si ad tempus tantum, evanescit infamia post elapsum tempus missioni constitutum *L.* I. *Cod. de his qui in exil. dat.* & liberantur ab omnibus poenis quae ignominia missos perpetuo comitantur; quasque recenset *Celeb.* VOET. *de jure milit. Cap.* IV. *n.* IX.

Haec *missio ignominiosa* est, quae frequenter cum a *Jurisconsultis*, tum ab Historicis *Exauctoratio* dici solet. Haecque propria vocis est significatio. Licet LIPSIUS ejus vim esse putet, quod, cum Legio quaedam Sacramento solveretur, signis aquilaque ademtis, illa nondum tamen dimitteretur, sed sub vexillo retenta, donec agros accepisset ac praemia; immunis interim ab omni militari onere, nisi pugnae in hostem; fateor & hoc quidem illa voce significatum esse, speciemque fuisse, missionis honestae, ab Augusto ita constitutae; ita ut *Exauctoratos* nonnunquam debeamus accipere subsignanos, Veteranos, Vexillarios &c. viden. TURNEBUS *adverf. lib.* II. *cap.* III. Sed non possum a me impetrare, ut credam, propriam fuisse *Exauctorationis* significationem. Plurima ex SUETONIO, ULPIANO, & aliorum scriptis adducta loca, contrarium plane suadent, paucis quibusdem exceptis exemplis, quae eo sensu, quo LIPSIUS voluit, cum VALTRINO aliisque, hanc vocem sumi, probant; om-

omnia caetera ignominiosam respiciunt missionem. Sic *Exauctorare* est *insignia militaria detrahere*. ULPIANO in *lege* 11. §. 11. *de his qui not. inf.* & *Exauctoratus* dicitur, qui *militia remotus castris ejicitur*. l. XXXIX. *pr. D. de lib. causa* LAMPRIDIUS *in Alex. Sev.* cap. LII. *Severitatis tantae fuit in milites, ut saepe legiones integras EXAUCTORAVERIT*, id est, *cum ignominia dimiserit*. *Exauctoratas*, Legiones ab Augusto dicit SUETONIUS, *citra commoda emeritorum praemiorum*. Ubi Sacramento tantum fuisse solutos scias, sine ignominiae mentione, verum ademtis emeritis & praemiis quae finita militia dari solita. Quae tertia a prioribus diversa *Exauctorationis* est significatio. Caeterum pro *Exauctoratione*, saepissime *cingulo privari*, & voce barbara *matricula eximi*, *sacramento solvi & exui* invenies, at frequenter haec occurrunt in Codice Theodosiano quae in *parat.* ad *lib.* VII. collegit maximae eruditionis *JCtus* D. GOTHOFREDUS. In Exauctoratione insignia militaria detracta iis qui ignominiose mitterentur paulo altius ex ULPIANO vidimus. *Insignia* vero *militaria* in gregario milite arma, in præfectis, & ducibus praeter arma, quoque signa fuerunt. Ut & *Cingulum*, quo quam primum nomina militiae dederant accingebantur milites, ut scilicet ad pugnandum essent prom-

promtiores, & expeditiores. Romani enim res serias tractaturi, togas praecingere solebant, ut docet CASAUBONUS *ad Sueton. Aug. cap.* XXIV. Hinc *cincti* pro *militibus* virisque fortissimis, *discincti* pro *paganis*, & ignavis hominibus, virisque luxuriosis & mollitia animi diffluentibus. Et *Cingulum* pro *militia* saepius usurpatur; ac ex adverso in *Nov.* CXVI. C. I. *militia*, id est *cingulo* spoliabuntur & ultima supplicia sustinebunt, qui privatis usibus cuidam inservit, quod rigide semper a Rom. punitum, uti ex Historicis videre licet. *Discingere* nihil aliud est quam *arma exuere*, veluti factum in Exauctoratione.

Nonnunquam ignominiae causa pro tempore tantum eo privabantur, addita alia insuper ignominia; sic consul Calpurnius Piso Titium equitum praefectum toga laciniis abscissis amictum, discinctaque tunica indutum, a mane in noctem usque ad principia adesse jussit. VALER. MAXIM. *lib.* II. *cap.* VII. & FRONTIN. *Strat. lib.* IV. *cap.* I. qui conviviis, & balneo illi quoque interdictum scribit. Scilicet sic *discincti* ante praetorium stare; SUETONIUS *in vita Augusti cap.* XXIV. aut eo modo *fossam fodere*, aut *faenum secare* cogebantur: PLUTARCHUS *pag.* DI. *in Lucullo*; interprete *Xylandro. Reversus Lucullus eos qui ceperant fugam* de

de more notavit, *ac fossam pedum duodecim*, *discinctos*, *assistente & spectante exercitu ducere jussit*. Aliquando sic cum decempedis, vel Cespitem portantes, per totum diem ante praetorium stabant, nudis quandoque pedibus, exutis caligis, ut testatior fieret eorum ignominia, cum ante omnium oculos tam deformi specie versarentur.

CAPUT XIV.

Ignominiae causa tendendi locus in castris mutatus. Nonnunquam extra Vallum castrorum tendere jussi milites. Quae ignominia re strenue gesta deleta. Extra Oppidum hibernare. Inter impedimenta & sarcinas iter agere. Militiam mutare. Gradu dejici. Militia rejici. Censio Hastaria.

CERTUS non tantum unicuique Legioni, sed & Centuriae, imo etiam decuriae in castris Romanorum tendendi locus fuit assignatus: nam prout, plus minusve Legionum vel auxiliorum in illis erat, Cohortes Legionariae tendebant, & sub uno Papilione plures milites sub oculis Decani versabantur. Vid. SCHELIUS *ad Hyg. p. 1. & seq.* Ubi

Ubi vero milites aliquid deliquerant, *ignominiae causa*, tendendi locum in castris mutare cogebantur. Livius *lib.* xxv. Illis arma tantum, atque ordo militandi, locusque in quo tenderent, in Castris est mutatus. Nonnunquam extra Vallum, & castra tendere jubebantur, idque saepius sine tentoriis, quasi indigni essent, qui inter vere milites agerent, imo dignissimi, qui hostibus exponerentur. Livius *lib.* x. *Cohortes quae signa amiserant, extra vallum sine tentoriis, destitutas invenit.* Sic milites ab Hannibale sub jugum missi, postquam rediissent, *tendere extra vallum* Otacilius Crassus Cos. jussit, ut immuniti assuescerent periculis, & adversus hostes audentiores fierent, Frontinus *Strat. lib.* iv. *cap.* i. Videndus quoque Valerius Maximus *lib.* ii. *cap.* vii. & Tacitus *Annal.* xiii. *cap.* xxxvi. ubi Corbulo, Pactium, & praefectos, militesque *tendere omnes extra vallum* jussit. Haec autem ignominia, virtute, & re strenue gesta, saepissime delebatur. Veluti Domitius Corbulo duas alas, & tres cohortes, extra vallum jussit tendere, *donec assiduo labore, & prosperis excursionibus redimerent ignominiam.* Teste Frontino *lib.* iv. *cap.* i. qui & quosdam extra vallum jussos tendere, refert, *donec bina hostium spolia singula referrent.*

Quando-

Quandoque a castris omnino segregabantur, ad urbes muniendas, servandasque condemnati. Vid. STEWECHIUS *ad Veget. de re milit. lib.* III. *cap.* IV. *p.* CLIV. Imo si in Hibernis essent, *extra oppidum Hibernare* debebant. LIVIUS lib. xxxv. Additum etiam virorumque ignominiae est, *ne in oppidis hibernarent*, neve hiberna propius ullam urbem decem millibus passuum aedificarent. Primis temporibus ignota haec ignominia, cum nulla essent hiberna, quae primum anno post urbem conditam CCCXLVIII. urbe Vejorum a Romanis obsessa, instituta sunt, & cum esset insolita, stipendiis taxata est, ut verbis utar FLORI.

Et eo tempore inter ignominias locum habere cepit, si quis *biemem sub tentoriis exigere* cogeretur, quod P. Valerio Cos. Senatum exercitum praecepisse, tradit FRONTINUS *lib.* IV. *cap.* I.

SAEPISSIME inter impedimenta & sarcinas iter agere compellabantur, nulli accensendi ordini. AMMIAN. MARCELLINUS *lib.* XXV. *cap.* I. de Juliano refert, quod Tertiacos equites, qui legiones deseruisse convicti erant, ademtis signis, hastisque fractis, inter impedimenta, sarcinas & captivos iter agere imposuerit. Nam etiamsi sine ulla ignominiae nota inter impedimenta commemorari potuerint adversa valetudine la-

borantes, ii qui valetudinem simulaverant, ut ab onere militiae immunes inter sarcinas iter possent agere, militiâ movebantur, non datis missionis litteris.

Nonnunquam *militiam mutare* cogebantur. *Militiae* autem *mutatio* erat, cum Equiti Equus adimebatur, isque in peditum numerum referebatur. Aut cum transcribebantur milites ab honestiore militiae genere, ad humilius. Varios enim, & digniores in militia gradus fuisse passim docent Historiae; quas pro rebus strenue vel turpiter gestis quisquis obtinebat. Tyro enim, & caligatus in infimo positi erant gradu, donec virtute & fortitudine in altiore essent promoti, quo a militiae muniis, & operibus quibus quotidie, centuriones, & tribuni in servilem plane modum illos fatigabant, liberarentur; & *Beneficiarii* jam pro *munifices*, quod eorum antea nomen, dicerentur. Sic infiniti alii gradus, quibus si quid deliquissent dejiciebantur. Vel enim miles in proximum gradum, vel in deteriorem, & ultimum regradatur. Veluti si uno gradu dejicitur Tribunus, fit primicerius, si in deteriorem datur militiam, fit tyro; at quando simpliciter gradu quem dejectum legimus, uno tantum fuisse regradatum debet intelligi, atque haec est ignominia quae a Modestino L. 111. §. v. D. *de re milit.*

gradu

gradu militiae dejici, & in §. IX. *gradu pelli.* & a *Calliſtrato*. L. XII. *de cuſtod. & exhib. reor. in deteriorem militiam dari*, dicitur.

A qua, quodammodo *militiam mutare* differre, ſuadere videtur L. V. §. I. D. *de re militari.* Qui in *pace deſeruit*, *eques gradu pellendus eſt*, id eſt, ademtis equis, inter pedites cenſeri debet, *pedes militiam mutat*, hoc eſt, in funditorum vel alias viliores militiae ſpecies tranſcribitur. Exempla ex Hiſtoriis ſunt petenda. Equitum turmas, ademtis equis in funditorum alas tranſcriptas, refert VALER. MAXIMUS *lib.* II. *cap.* VII. AMMIAN. MARCELL. *lib.* XXIX. *Equites quartae ſagittariorum cohortis*, *omnes contruſit ad infimum militiae gradum.* Ab his autem omnibus diverſa, *militia rejici* in §. XVIII. d. L. III. *haec* enim erat quando miles ſtipendiis privatus, indignus judicabatur, qui in poſterum arma gereret; quae poena in eos ſtatuta qui lapide commilitonem vulneraverat L. VI. §. VI. D. *de re milit.* Quo ſenſu accipiendum, quoque §. XIV. L. III. ſaepius allatae, puto. *Qui aliena arma ſubripuit*, *gradu militiae pellendus eſt.* Vbi non gradu tantum pellendum eſſe, id eſt, ab honeſtiori in humilius, ſed militia omnino rejiciendum & removendum, patet ex delicti gravitate. Valentis & Valentiniani conſtitutione L. X. *Cod. Theod. de re milit.* illi,

qui juvenes arma gerendi idoneos occultaverant, ad inferiorem militiae ordinem sunt devoluti. Alia nonnunquam huic addita ignominia est, si antequam militia pellerentur vel gradu dejicerentur, Hasta iis adimeretur, quae summa ignominia, teste FESTO *in V. Censio*; & non minus si frangeretur, quod nonnunquam factum patet ex AMMIAN. MARCEL. *lib.* XXV. *cap.* I. Ignavis autem & luxuriosis praesertim ademta, erat fortitudinis enim signum, docente *Budaeo*; ut & imperii, (unde Romani statuis hastas addiderunt, ut probat, Vir Amplissimus G. CUPERUS *Apoth. Hom. p.* XXII. *&* XXIII.) & haec hastae ademtio est, quae ab historicis *censio hastaria* vocari solet.

CAPUT XV.

Stipendium quando primum datum. Stipendio privari. Captivo reverso stipendia non sunt deneganda. Annuum stipendium in semestre mutatum. Frumentum militibus datum. Poenae causa hordeum pro tritico datum. Mulca pecuniaria.

Stipendium primis Reipublicae Romanae temporibus nullum militantibus de publico

blico dabatur: sed sua pecunia, & proprio sumtu muneribus militiae quisque fungebatur. FESTUS *in V. privat. sumt.* Instante autem bello Vejenti aera militibus, primo quidem peditibus, dein etiam equitibus constituta, non quidem diurna, aut menstrua, sed annua: unde *stipendia* pro *annis militiae* plerunque apud scriptores usurpantur. Hoc aere, ubi culpae cujusdam rei essent milites, privabantur, stipendiumque non procedebat, quod *aes resignatum* dictum. FESTUS *in V. Resignatum.* „ Resignatum „ aes dicitur militi, cum ob delictum ali„ quod, jussu Tribuni militum (ne stipen„ dium ei detur) in tabulas refertur, resig„ nare antiqui pro scribere interdum pone„ bant. „ Cui autem propter ignominiam non dabatur, *aere dirutus*, ut & *infrequens* dictus. VARRO *d. vit. P. R.* l. III. *in fragm.* „ Stipendium appellabatur, quod „ aes militi semestre, aut annuum dabatur; „ cui datum non sit propter ignominiam „ aere dirutus esset: „ *aes* autem dicitur *dirui*, cum in fiscum, non vero militum crumenas injiciebatur. Sic captivus reversus, stipendia temporis quo fuit apud hostes, exigere nequit, L. I. *Cod. de re milit.* nisi absque culpa sua captus fuerit, tunc enim non sunt deneganda *arg.* L. III. §. XII. L. 5. §. V. VI. VII. D. *de re milit.*

& *arg*. L. XXXIV. D. *de reg. jur.* L. VIII. §. VII. *de cond. inst.* Vide latius hanc sententiam tuentem *Celeb.* VOET. *de jure milit. cap.* V. *n.* LXII. *p.* CCL. Non raro poenae quoque loco, in annuum stipendium, semestre mutatum; vel iis expletis, cum alias mitti deberent, prorogata. LIVIUS lib. XXXIII. *mitterentur in Siciliam ad Cannensis exercitus reliquias, cui militum generi non prius, quam pulsus Italia hostis, finitum tempus stipendiorum erat.*

PRAETER stipendium Romanis militibus frumentum etiam datum: imo ea aetate, cum necdum aera dabantur, frumentum publice fuit praebitum, ut probat Vir Nobiliss. R. H. SCHELIUS *ad* HYGIN. & POL. *c.* VII. Aliquando, & praeter frumentum, laridum, porcinam, salem &c. accipiebant. Frumentum autem dabatur vel in quosdam dies, vel etiam in menses aliquot. Sic inquit LIVIUS *lib.* VIII. *Exercitum Romani deductum, stipendium, & trium mensium frumentum accepisse.* Qui vero officio suo defuerant, criminisque rei erant, iis *hordeum* dabatur pro *frumento*. Ut scilicet indigni viderentur communi militum cibo, & jumentis potius annumerarentur. Sic cohortibus quae signa amiserant, hordeum dari jussit Marcellus apud LIVIUM *lib.* XXVII. & Legiones si quae loco cessissent hordeo pa-

vit

vit Augustus, uti ex SUETONIO *cap.* XXIV. supra vidimus. VEGETIUS *lib.* I. *de re milit. cap.* XIII. *Ita severe apud majores exercitii disciplina servata est, ut & doctores armorum duplicibus remunerarentur annonis, & qui parum in illa praelusione profecerant, pro frumento hordeum cogerentur accipere.* Quod pro *tritico* accipiebant, qui in decimatione fuerant superstites, uti ex POLYBIO probavimus supra.

Haec stipendii privatio omnino diversa a *Poena Pecuniaria*; sic vulgo ab auctoribus dicta, & simpliciter quandoque *condemnatio*, uti ex Codice Theodosiano vidimus supra. Hac poena, omnium nonnunquam bonorum amissione, mulctati sunt milites L. XXI. *Cod. Theod. de re milit.* ubi miles, qui in Provincia sine numero suo repertus fuit, postea elapsus, facultatum suarum amissione vindicari jussit Imperator. Sic omnibus bonis privati sunt, qui cum citati essent, ut militiae nomina darent, non responderant. Vid. DION. HALYC. *lib.* VIII. & DION. CASSIUS *lib.* V. & VI. Posterioribus demum temporibus, hujus poenae usum frequenter invaluisse videtur, rara enim in antiquis historiis ejus mentio, cum saepissime sub Imperatoribus adhibitam fuisse, ex plurimis eorum constitutionibus pateat. Ita in decem

cem libras auri condemnatur, qui principi supplicavit, ut binas militias simul posset obtinere. L. v. *Cod. qui milit. poss.* Centum librarum auri poena mulctatur, qui militum annonae exactionem impedierit. Vid. *Tit. modo laud.* quem si harum rerum es cupidus, non frustra totum legeris, cum *L.* II. *L.* XV. *de re mil. eod.* & *L.* XVIII. *de re mil. Cod. Theod.*

Haec sunt Lector, Quae de Poenis militaribus, cum capitalibus, tum non capitalibus ac Ignominiis Tecum communicare constitui. Adduxi ea, quae ad hujus materiae dilucidationem maxime videbantur inservire. Exempla plurima, quae ex auctoribus adduci potuissent, consulto omisi, ne eorum mole obrueretur magis, quam inlustraretur haec suppliciorum materia. Nemini autem mirum videri debet, si nonnullarum Poenarum quae apud alios scriptores occurrunt, nullam fecerim mentionem, non putavi enim esse assentiendum iis, qui unius quandoque loci auctoritate, ex quo militem supplicio quodam affectum fuisse patet, Paganorum meras Poenas inter militares numerarunt. Quoties enim miles tanquam paganus punitus est? adeoque Paganorum poena, quae quia in hominem stipendia merentem nonnunquam est usurpata, minime tamen Poena potest dici militaris. Nec

po-

potui, cum STEWECHIO in catalago Poenarum militarium, quem in doctissimus suis ad VEGETIUM commentariis exhibet, *Sepulturae privationem* inter has Poenas recensere, cum in militem nunquam, virum fortem, cuique Lege ac jure ob militare peccatum, supplicium irrogatur militare, haec privatio sit usurpata; at quidem in patriae proditores, cives seditiosos, veluti Gracchos, & milites qui mortuo duce Jubellio, sponte sua scribam ejus M. Caesium Imperatorem delegerunt, postquam injusto bello Rhegium occupassent, quod exemplum ex VALER. MAXIMO adduxit STEWECHIUS; vel in Tyrannos, quos & lugere nonnunquam vetitum, eorumque corpora post mortem pedibus calcata, quae contumelia in hostes devictos, quorum cadavera, caput praecipue, ac cervicem pedibus calcabant, praesertim usitata, uti ad PROPERTIUM *Eleg.* I. *lib.* I. *v.* IV. hunc militarem morem ad Amorem transferentem, ostendit JANUS BROUKHUSIUS, maximo Reipublicae Litterariae, ac Elegantissimarum Artium cultoribus detrimento, humanis rebus nuperrime ereptus. Nec omissionis credo, quis me postulabit, quod inter Equitum Poenas, *pugillarium traditionem* non numeraverim, quam inter eas recenset H. HUGO M. E. *Cap. de Poenis*,

nis, nam SUETONIUS *in August. cap.* XXXIX., ex quo hoc supplicium desumsit HUGO, loquitur de Equitibus hac ignominia ab Augusto notatis, qui publicani erant, quod cuique SUETONIUM inspicienti patebit, minime vero de Equitibus sensu militari. Hujus farinae plurima, praeterire praestat, quam Te longius detinere.

F I N I S.

ERRATA.

Exſtantiora, vel quae morari poſſent in hunc modum ſunt corrigenda, caetera Lectori committimus.

Pag. 16. lin. 28. pro Flagellio. leg. Flagello.
25. lin. 5. pro hoc. leg. hac.
36. lin. 16. pro parlegere. leg. perlegere.
47. lin. 10. pro longi temporibus. lege longi temporis.
55. lin. 24. pro amitti. leg. amittit.
71. lin. 26. pro mutuens. leg. metuens.
72. lin. 22. pro quidam. leg. quinam.
75. lin. 23. pro eximinae. leg. eximiae.
77. lin. 4. pro in uſum. leg. in uſu.
92. lin. 17. pro quadam. leg. quaedam.
95. lin. 6. pro Furium. leg. Furum.
99. lin. 9. pro ex adverſe. leg. ex adverſo.